DE JURE

APUD

FRANCISCUM BACONUM

THESIM HANC

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DISCEPTANDAM PROPOSUIT,

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS,

ALBERT DESJARDINS,

IN EADEM FACULTATE JAM LICENTIATUS, DOCTOR IN JURE.

PARISIIS,

APUD AUGUSTE DURAND, BIBLIOPOLAM,

IN VIA DICTA, RUE DES GRÈS, 7.

MDCCCLXII.

PETRO NICOLAO DANJOU,

PRÆSIDI TRIBUNALIS BELLOVACENSIS,

SANGUINE CONJUNCTUS, ANIMO CONJUNCTISSIMUS,

ALBERT DESJARDINS.

D. D. D.

PROŒMIUM.

I. AN QUIDQUID DE JURE SCRIPSIT BACONUS DIGNUM SIT QUOD IN LIBRUM QUEMDAM COLLIGATUR. — Hoc ipsum, quod inchoamus, opus ne jam desperatum esse videatur valde timemus, quum vir acuti ingenii, et ille Britannus dixerit Baconum « aut raro aut nunquam conatum esse ut ad scientiam re- « digeret immunerabiles civilis doctrinæ regulas (1). » Nec defuerunt qui Baconum regularum istarum omnino rudem fuisse contenderent, nedum ab eo novam lucem istis additam esse faterentur, Elizabethæ reginæ judicio et communi, quæ tunc fuit, opinione freti (2). Tales autem de se errores invaluisse inprimis auctor est ipse Baconus. Sunt quidem istius de jure libri, et jurisprudentia juveni quasi semita fuit per quam ad summos regni honores sensim ac leniter progrederetur : invitus vero tali studio sese applicuerat, si qua fides et ipsi (3) debetur et scriptoribus qui vitam ac mores ejus retulere (4).

(1) Edinburgh Review, vol. XXVII, p. 180, sept. 1816. Stewart's introduction to the Encyclopædia, Part I, quod opusculum referunt scriptum esse à *sir James Mackintosh.*

(2) Lord Macaulay, Essay on lord Bacon. Ed. Tauchnitz, p. 20.

(3) Letters in the reign of queen Elizabeth. To Burghley, IX.

(4) Rawley, Notice : « Juris Angliæ municipalis studio et professioni se « addixit. In qua sparta ornanda eximios brevi progressus fecit, licet (ut

Nova præterea in eo ratione usus est, utpote cui non satis esse videretur veterum opiniones ac sententias colligere et explicare, sed cordi quoque esset fontes ipsos juris repetere et philosophia civilem doctrinam commendare; omni autem in arte vel doctrina, plerique philosophiam aut hostem aut certe peregrinam habent, quæ nonnisi nugas aut somnia præbeat, nihil autem offerat quod arti ipsi prodesse videatur. Baconus igitur, quia legibus studuit, nihil illuc philosophici intulisse quibusdam visus est; quia naturam ac fundamenta juris quæsivit, jus ipsum ignorasse habetur; usque adeo et jurisperiti et philosophi totos homines suos esse jubent! Adde quod « nulli rumores libentius « accipiuntur quam qui famam magni cujusdam viri deminuunt, « vulgique lenire invidiam nescio quam videntur (1). »

Baconus autem nonnisi coactus a se alienum amplexus sit studium, id certe magis cum natura suæ mentis consentaneum conatus est efficere. Qui si intra civilis vel Britannici juris regulas se inclusisset, nunquam nobis in mentem venisset hanc apud Facultatem quid de jure scripserit ille attingere : est autem quidquam in jure non aliter atque in omnibus artibus doctrinisque, quod ad philosophiam vere pertinet. Magnam istam et quasi divinam civilis artis partem et apud Græcos excoluere philosophi inque primis Tullius commendavit, nec, auctore isto, amplecti dedignati sunt Romani prudentes (2). Diutissime tamen, veluti ingenti juris civilis mole oppressa, jacuit eadem, quum nihil justum, nihil verum esse videretur, nisi quod

« ipsius verbis utar) peritiam illam, tanquam accessoriam sive subsidia« riam, non tanquem principalem amplexus sit. » Cf. Mallet : « Bacon « applied himself, more through necessity than choice, to the study of « the common law. »

(1) Lord Macaulay, loc. cit.

(2) Ulpianus : « Veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes » l. I, §. 1, *De justitia et jure*. D. L. I.

tale esse Romanis visum esset, neque ullo modo in lucem novæ regulæ prodire possent, nisi priscis verbis tectæ. Primus autem Baconus ad philosophiam jus reducere tentavit; ideo in *Dignitate et augmentis scientiarum* communia quædam tulit præcepta, *legesque*, ut dicit, *legum* (1). Multa sane quæ de physica, de astronomia scripsit obsoleta sunt; illa nunc quoque in manibus prudentum sunt, nec sine magna utilitate ac voluptate etiam leguntur (2). Imo, coram judicibus verba faciens, nullam fere attigit materiam, priusquam fundamenta quæ essent juris et quæsiisset et invenisset, ratione usus, quæ *placita legum* aut corrigeret aut explanaret aut commendaret (3). Quanto magis, legibus condendis, ad rationem naturamque juris repetere non dubitavit (4)! Non insulse quidem. Quum enim talem habeat locum philosophia in scientiis quæ ad naturam rerum spectant, numquis eamdem ad hominum communionem ordinandam tuendamque accedere debere infitietur?

II. QUEM FINEM, DE JURE SCRIBENDO, SIBI PROPOSUERIT VERULAMIUS. — Quem finem, de jure scribendo, sibi proposuerit Verulamius, ante omnia, ut nobis videtur, quærendum est, ne majora exspectemus in illoque ea aut desideremus aut, spe præoccupati, fingamus. Et quanquam Baconi rationem philosophiamque ipsam quam minime attingere aut parati sumus aut in animo habemus, in illa moremur necesse est; non enim

(1) Ib. Lib. VIII, cap. III. *Exemplum tractatus de Justitia universali, sive de Fontibus juris.*

(2) Opus illud bis cum notis in lucem edidit *Dupin* major, Manualique suo adjunxit (1834).

(3) The arguments in law in certain great and difficult cases, proœmium. — The elements of the common law of England, the Preface.

(4) A proposition to his Majesty touching the compiling aud amendment of the laws of England. — A preparation toward the union of the laws of England aud Scotland.

quid de legibus, nisi antea quid de scientia omni optaverit vir noster, speraverit, effecerit, compertum esse potest.

Huc ingenium Verulamii natura propensum fuisse ut in omni re utilitatem quæreret nulli jampridem dubium est (1). Ipse quidem sæpe veteres incusat quod vanis nugis tempus triverint (2), recentiores increpat quod veterum nugas amplectantur nunc etiam ac venerentur, se autem et aliam viam ingressum esse et alio tendere declarat, scilicet ut hominum inserviat societati.

Quin quod cepit consilium ita miratur ut divinitus sibi injectum esse existimet, ac fere se a Deo missum profiteatur, qui humana augeat commoda, incommoda vero aut minuat aut soletur (3). Etenim *frugiferæ*, ut ait Cicero, philosophiæ parti

(1) Lord Macaulay, Essay, p. 92 : « What then was the end which Bacon « proposed to himself? It was, to use his own emphatic expression, « *fruit.* It was the multiplying of human enjoyments and the mitigating « of human sufferings. It was the *relief of the man's estate (adv. of « learning*, 1). — It was *commodis humanis inservire (de Aug.* VII). — It « was *efficaciter operari ad sublevanda vitæ humanæ incommoda* « (ib. II, 2). — It was *dotare vitam humanam novis inventis et copiis* « *(Nov. Org.* I, 81). — It was *genus humanum novis operibus et potesta-* « *tibus continuo dotare (Cog. et visa).* This was the object of all his spe- « culations, in every department of science, in natural philosophy, « *in legislation*, *in politics*, in morals. »

(2) Cog. et visa, 13. « Atque hujus philosophi (Platonis) si quis atten- « tius et scripta et mores consideret, eum de philosophia naturali non « admodum sollicitum fuisse reperiet, nisi quatenus ad philosophi nomen « et celebritatem tuendam, vel ad majestatem quamdam moralibus et « civilibus doctrinis addendam et adspergendam sufficeret. » — *Cf. Nov. Org.* 71. « Erat autem sapientia Græcorum professoria et in disputationes « effusa : quod genus inquisitionis veritatis adversissimum est. » Quam de antiqua philosophia sententiam tulerit Baconus magis compertum est quam ut plura istius afferamus testimonia.

(3) Inst. magnæ pars III, Auctoris monitum. — Temporis partus maximus, initio. — Inst. magna, dedicatio. — Precatio, 3 : « Præter « innumera peccata mea, confiteor quod sim debitor tuus ob benigna « talenta donorum et gratiæ tuæ, quæ neutiquam sudario involvi, nec

profuit; si quid autem et in excelsiore illa parte, quam *metaphysicam* vocant, efficere voluit, nihil aliud quam *similitudines meras* peperit, etsi « tales eas nonnisi hominibus parum « perspicacibus videri posse » dicit (1). Ad utilitatem sese applicet necesse est. Inde et Germanorum contemptus, utpote quibus *ignotæ virtutes*, tanquam Parthis, *nova vitia*, et Britannorum amor, et, quæ fuit apud nos novissimo sæculo, admiratio (2). Vigente enim philosophia quæ nihil non ad utilitatem referre solebat, omnes auctorem ducemque Baconum sibi visi sunt habere, nec lampada, ab illo traditam, ad alios usus vertere dubitaverunt, quos præviderat ille forsan, horruerat certe (3). Nunc etiam sunt qui sterilem Socraticam philosophiam existiment, « verba et mera verba nec quidquam præter « verba in celeberrimorum philosophorum tot diuturnis labo- « ribus nata esse » contendant (4), Baconum vero primum mentes hominum, tam longo tempore disputationibus occu-

« tamen etiam, ut debui, mensariis tradidi illis, à quibus optimum « acquiri potuisset lucrum, sed impendi perperam iis ad quæ fui aptus « minimum. »

(1) De Aug. sc. lib. III, cap. 1, §. 5.

(2) Guizot, *Civilisation en France*, 1re leçon : « Les philosophes mêmes « de l'Angleterre, les hommes qui semblent voués par profession au « développement de l'intelligence pure, Bacon, Locke, les Ecossais « appartiennent à l'école philosophique qu'on peut appeler pratique; ils « s'inquiètent surtout des résultats immédiats et positifs.... ; ils ont le « génie du bon sens. »

(3) Inst. magn. ded. « Atque illud insuper supplices rogamus ne « humana divinis officiant. » Cf. de Aug. 4, lib. I. « Sunt limites « tres, » etc.

(4) Macaulay, loc. cit. p. 101. — Cf. p. 97 : « This sort of philosophy, it « is evident, could not be progressive. It might indeed sharpen and in- « vigorate the minds of those who devoted themselves to it, and so « might the disputes of the orthodox Lilliputians and the heretical « Blefuscudians about the big ends and the little ends of eggs. »

patos, ad veritatem transtulisse rati, veræ eum philosophiæ patrem nominent.

Et Baconum et veteres multum philosophiæ, multum communi hominum societati profuisse reor, nec magis, si quis Platonem *cavillatorem urbanum*, *tumidum poetam*, *theologum mente captum*, Aristotelem *pessimum sophistam*, *inutili subtilitate attonitum*, *verborum vile ludibrium vocet* (1), ei assentior, quam si quis Verulanium ipsum materiæ unice deditum fuisse, omnino a vera philosophia abhorruisse putet. Prætermitto quod tot tantaque apud antiquos inventa sint : restat sane quod hominum mentes non modo exercuerit philosophia, sed animos quoque instituerit optimumque ad exemplar finxerit; illa fuit, deficiente digno numinis cultu, philosophiæ præcipua pars, illa maxima laus, nec unquam nimiæ Socrati agi possunt gratiæ, quod ante omnes illam de cœlo in terram deduxerit, eique vitam hominam regendam præbuerit. Ne igitur contemni veterum sapientiam Baconoque Platonem postponi patiamur. In quo inter se differant liceat animadvertere. Verum veri ipsius amore quærit Plato, nec quidquam potius ac sapiente dignius proclamat esse quam tranquillam contemplationem veri : inde aliqua utilitas ad homines descendat oportet, non ipse illam aut petit aut quo pacto petenda sit docet. Utilitas contra fere unica est Verulamio causa cur verum inquirat, unicus finis quem philosophiæ assequendum esse profiteatur.

Non aliud de jure quam de logica Baconus habuit consilium. Quid sibi in animo sit aperte ipse declarat : « Qui de legibus « scripserunt, omnes vel tanquam philosophi, vel tanquam ju- « risconsulti, argumentum illud tractaverunt. Atque philosophi « proponunt multa dictu pulchra, sed *ab usu remota*. Juriscon- « sulti autem suæ quisque patriæ legum, vel etiam Romanarum

(1) Temporis partus maximus, 4.

« aut Pontificiarum placitis obnoxii et addicti, judicio sincero « non utuntur, sed tanquam e vinculis sermocinantur. Certe « cognitio ista ad viros civiles proprie spectat, qui optime norunt « quid ferat societas humana, quid salus populi, quid æquitas « naturalis, quid gentium mores, quid rerum publicarum formæ « diversæ, ideoque possint de legibus et principiis et præceptis, « tam æquitatis naturalis quam politices, decernere. Quamobrem « id nunc agatur ut fontes justitiæ et utilitatis publicæ petantur « et in singulis juris partibus character quidam et idea justi « exhibeatur, ad quam particularium regnorum et rerumpubli- « carum leges probare atque inde emendationem moliri quis- « que cui hoc cordi erit et curæ possit (1). » Sequitur *de Justitiæ fontibus* sermo, unde, ut reor, utilitas aliqua ad leges ceterarum nationum redundare potest, quum philosophia regnorum finibus minime includatur : Baconus autem profitetur, quum sese ad Britannicæ legis studium conferat, nihil sibi videri utilius quam ut regulas in tanta placitorum mole dispersas colligat, non parum lucis novis casibus accessurum esse ratus (2). Quid plura? Britannicum jus fuit ei quasi subjecta materia, in qua experimenta ageret. Scilicet is erat qui non unius regni historia legibusque se contineret, atque, dum peregrinaretur, exterarum nationum et vires et mores qui essent discere conatus est (3); attamen nondum sibi invicem ita erant notæ gentes, ut leges omnium, instituta, mores aliquis et amplecti et inter se comparare posset; quod, Elizabetha regnante, vixerit, Verulamio non est merito exprobrandum.

Non autem prætermitti potest quod eadem fuerit, quæ Bacono,

(1) De Aug. sc. lib. VIII, cap. III, 5. — Cf. Dialogum de Bello sacro, in Epistola dedicatoria.

(2) The elements of the common laws of England, the preface.

(3) Of the state of Europe. — written about the year 1580.

Tullio quoque mens, ut ipse testatur (1) : « Si enim aut mihi facere « licuerit, quod jamdiu cogito, apud eum inquit Crassus, aut alius « quispiam, aut, me impedito, occuparit, aut mortuo effecerit, « ut primum omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca « sunt; deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat; « tum propriam cujusque vim definitione declaret; perfectam « artem juris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, « quam difficilem atque obscuram. » Seipsum a Crasso indicari facit Tullius, qui pro eo tantum laborem suscipiat : inter tot tamque diversa studia, tot publicas privatasque curas ei defuisse tempus merito desiderat doctissimus ornatissimusque Parisiensis facultatis decanus (2), quo quis melius quid efficere potuerit Cicero noverit? De opere autem, quod omittere coactus est ille, præcepta certe aliis tradidit, in libro *De jure civili in artem redigendo* (3), quem periisse jurisperitis lugendum est.

Omnis juris scienia in jure aut condendo, aut interpretando, aut docendo posita est : id autem condere philosophi est atque legumlatoris, interpretari magistratus atque causidici, docere professoris atque scriptoris.

(1) De Oratore, I, 42.

(2) Omnia opera Ciceronis edita a *J. V. Le Clerc*, 1825. T. XXIX. Introd. p. 47.

(3) Id.-ibid : « S'il ne put exécuter ce plan, nous avons la preuve qu'il « le développa dans un ouvrage particulier, connu de Quintilien (XII, 3) « et qui portait ce titre suivant Aulu-Gelle (1, 22). *De jure civili in artem redigendo.*

LIBER PRIMUS.

DE JURE CONDENDO.

Quod ad jus condendum spectat, tria sunt quærenda : qualis lex esse debeat, quis eam ferre, quis ei parere debeat.

CAPUT PRIMUM.

Qualis lex esse debeat.

1. QUAM LEGEM ESSE DICAT BACONUS. — Quam legem esse intelligat Baconus ante omnia dicendum est. A quo nusquam eam definitam esse ne quis miretur : non enim ille meræ philosophiæ studet, sed omnia ad usum trahit : ei igitur satis fuit communem verbi sensum sequi. Non igitur, tanquam Tullius (1), eam esse « rectam rationem, naturæ congruen-« tem, diffusam in omnes, constantem, sempiternam » declarat; quanquam enim vox illa magnifice ac philosophice sonat, paulum tamen ab usitata notione recedit. Nec noster pro veris ac justis legibus accipit omnes prudentum sententias, omnia principum placita, perinde ac si usu tantum jus constituatur. *Æquitatem* enim *juris* in lege deficere posse fatetur (1) : ea vero deficiente, legem tamen esse non negat.

Tullii definitionem ampliorem esse animadvertendum est quippe quæ omnes juris partes æque amplectatur, et jus civile,

(1) De Republica, II, 22.

(2) De Font. juris; aph. I. « Est autem et vis quædam legem simulans, « et lex nonnulla magis vim sapiens quam æquitatem juris. »

sive ad privatos, sive ad publicam rem pertineat, et jus gentium, quod apud recentiores nominetur (1); si ad Baconi vel potius communem sensum attendas, non legem juri æquipollere; istas vero regulas, quibus inter se astringuntur gentes, quasi extra legem positas esse, de quibus tamen quid censuerit Baconus operæ pretium est considerare.

II. QUAM LEGIS NATURAM ESSE DICAT BACONUS. — Omni rei est sua natura, secundum quam sese habens, bona esse videtur: a qua si abhorret, jam alia res incipit haberi. Inspicienda est igitur natura legis, id est, quærendum secundum quid se habens bona ac vera lex esse videatur, quid sit cur omnes apud homines, omni tempore constituenda sit. Protinus *dignitates* (2) quoque legum quæ esse debeant in mente nobis est quærere. Si Platoni credendum est, lex eo constituitur quo facilius certiusque ad virtutem homines perducantur, et, si qui aut natura aut naturæ quadam corruptela ad illam parum sint propensi, eam tamen persequi cogantur. Hanc igitur legis esse naturam ut unice ad virtutem tendat non semel declarat ille (3), et Minoa laudat, quod, leges ferendo, non unam virtutis partem, tanquam Lycurgus, affectaverit, non de materia quaque, prout poposcerit hora, tanquam recentiores, statuerit, sed, virtutem omnem amplexus, eam nunquam non sibi proposuerit (4). Nobilis sane sententia et philosopho digna, attamen bona venia dixerim, nimis philosophica. Id enim curæ esse debet philosopho ut homines meliores efficiat, et ideo ipsam in hominum mentem penitus descendere conatur: leges quoque fert,

(1) Istum in sensum, quanquam ab Romanis prudentibus alienum, vocem eam semper accipiemus, de Bacono scripturi et apud recentiores, remque attingentes cui nullum fuit apud Romanos nomen.

(2) De Aug. sc. lib. VIII, c. III. — De font. juris, VII.

(3) De Leg. XII, in fin.

(4) Ib. I. initio. — Cf. Aristot. Rep. lib. II, c. VI.

eas vero quæ nulla externa vi sanciri queant. Quod si civilium legum ipsi conditori cordi est virtutem propagare, nonne philosophicum munus sibi assumere videtur, quod civili potestate perficere velit? Quot et quanta mala inde oriri soleant satis constat. In civitatè Plato nullam vim esse patitur, nisi legum a philosopho conditarum : vim eam, quam homo quisque in se habet, tollit. Nescio an vera legis natura eum fefellerit, qui eam nihil aliud præter instrumentum virtutis contenderit. Ea quidem non a virtute abhorreat necesse est; quin ab ea « generari virtutem in subditis » (1) optat noster et inter dignitates ejus ponit, non autem unice quærendum.

Tullius autem « legem esse rationem summam, insitam in « natura quæ jubet ea quæ facienda sunt prohibetque contra- « ria, eamdem rationem, quum est in hominis mente confir- « mata et confecta, legem esse » declarat (2). Cui assentiri facile est. Non tamen quare ea in hominis mente confirmanda et conficienda sit docet. De lege ipsa disserit : homini autem esse cupidinem quandam vel potius necessitatem juris statuendi nonne animadvertendum est? Si lex tantummodo ratio summa sit, omnes quidem homines confuse eam sentire, inviti, inscii identidem cogantur, paucis vero philosophis eam tractare et explicare, ei parere contingat. Legis, ut ita dicam, meræ, celestis, philosophicæ naturam ostenderit Tullius; alia est legis humanæ natura, quam quæsiit Plato, nec, ut reor, invenit. Non tamen rejicienda est Tullii definitio, quum, si fundamentum legis ea non aperiat, ejusdem ingentem quamdam dignitatem indicet, scilicet ut rationi summæ congruat (3).

(1) De Aug. sc. lib. VIII, cap. III. — De Font. juris, VII.

(2) De Legibus, I, 6.

(3) Lex bona censeri possit quæ sit... præcepto justa... » De Aug. sc. VIII, 3. — De Font. juris, VII. — Vid. infra.

Jam Baconus audiendus : « Firmamentum juris privali tale « est. Qui injuriam facit, re utilitatem aut voluptatem capit, « exemplo periculum. Ceteri utilitatis aut voluptatis illius parti- « cipes non sunt, sed exemplum ad se pertinere putant. Itaque « facile coeunt in consensum ut caveatur sibi per leges ne in- « juriæ per vices ad singulos redeant (1). » Utilitatem fundamentum esse juris privati, et quoniam id *sub tutela juris publici latet* (2), publici quoque contendit noster : angustior vero est illa sententia : hanc enim solam juris partem videtur includere quæ ad pœnas attinet. Malo hanc aliam : « Finis et scopus « quem leges intueri atque ad quem jussiones et sanctiones suas « dirigere debent, non alius est quam ut cives feliciter degant. » Quibus rebus comparetur felicitas docemur : « Id fiet, si pietate « et religione recte instituti, moribus honesti, armis adversus « externos hostes tuti, legum auxilio adversus seditiones et « privatas injurias muniti, imperio et magistratibus obsequentes, « copiis et opibus locupletes et florentes fuerint. Harum autem « rerum instrumenta et nervi sunt leges (3). » Sit igitur, secundum Baconum, finis legum utilitas humana.

Jam nulli ambigitur ad id homines natos esse ut in societatem coirent : « Φανερὸν ὅτι τῶν φύσει ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν « ζῶον. (4) » Nec fabulæ istæ vigent de conditione hominum quæ fuerit ante societatem initam, aut extra eamdem esse potuerit. Indolem hanc hominibus à Deo datam esse quo facilius, mutua adhortatione adjuti, mutuo exemplo informati, virtutem et sibi proponerent et assequerentur, vereque similes ipsi numini fierent, jure aliquis contendat. Attamen illa sit mens Dei : non ea est

(1) Ib. II.
(2) Ib. III.
(3) Ib. V.
(4) De Rep. lib. I, cap. I, 2.

hominum, si qui inter se societatem constituere in animo habent : imo multos reperias qui ad virtutem facile perveniri negent, nisi desertam ingressus sis viam. Aristoteli igitur assentiendum : « Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν καὶ πᾶσαν « κοινωνίαν ἀγαθοῦ τινος ἕνεκεν συνεστηκυῖαν (τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ « χάριν πάντα πράττουσι πάντες) δῆλον ὡς πᾶσαι μὲν ἀγαθοῦ τινος στοχάζονται, « μάλιστα δὲ καὶ τοῦ κυριωτάτου πάντων ἡ πασῶν κυριωτάτη καὶ πάσας περιέχουσα « τὰς ἄλλας · αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ καλουμένη πόλις καὶ ἡ κοινωνία ἡ πολιτική (1). » Quid sit autem hoc bonum infra indicat : « Ἡ δ᾽ ἐκ πλειόνων κωμῶν « κοινωνία τέλειος πόλις, ἡ δὴ πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας ὡς ἔπος « εἰπεῖν, γινομένη μὲν οὖν, τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ, τοῦ εὖ ζῆν » (2). Exempli gratia, civitates illæ quæ in America constitutæ sunt, quid aliud sibi proposuerunt, nisi ut ab externo hoste tutæ, ab interno timore liberæ essent, ut viverent et bene viverent? Æquitati sane eorum instituta legesque congruere debent : quid vero? Nonne Tullius et societati latrocinii causa, id est contra æquitatem, initæ necessariam esse æquitatem proclamat, qua deficiente, ne una quidem die illa possit manere (3)? Societate autem constituta, potestatem quamdam ei præfici necesse est; non sufficit. Constantes regulæ adhibendæ sunt (4), quæ vocantur leges. Non alia autem iis origo est, atque societati ipsi et potestati. Quum diversis inserviendum sit commodis, diversæ sunt juris partes : jus gentium, jus civile, jus pœnarum. Sublata enim utilitate, quid est cur supplicio afficiantur improbi? Parum est eos aliqua pœna dignos esse, Dei est judicium ferre de iis. At enim curandi sunt (5). Nonne curatione ipsa libertas

(1) Id. ibid. — 1.

(2) Id. ibid. — 2.

(3) De officiis.

(4) Bossuet. Politique tirée des propres paroles de l'Ecriture-Sainte, Liv I, art. 4, 1re Prop.

(5) Plat. de Leg. IX.

lædi potest? præterea quantulus in pœnis locus relictus sit adhuc curationi neminem fugit. Nullas igitur pœnas non iniquas esse confitendum est? Scilicet quicumque societati improbe nocet, juste punitur, non quia, injuria vexando alios, dignus evasit ut ipse injuria vexaretur (1), sed quia, læsa hominum societate, ipse supplicio, ceteri exemplo a tali consilio deterrendi sunt (2). Ne a Platonica quidem philosophia istud omnino abhorret: ut enim boni spectaculo inviti quoque perducimur ad bonum, ita mali spectaculo trahimur ad malum, virtutique omnium officit scelus unius.

Eadem est legum civilium conditio. Nunquam sane hoc sibi in mentem induxit Plato ut leges omnibus punctis absolutæ uno momento fierent: pristinas corrigi, novas ferri possi prævidit. Quodcumque autem in futurum feratur Platonicis consiliis convenire volo et virtute prodesse: cur feratur satis patet. Scilicet alia tempora alias quoque leges reposcunt..

Ne quis de more Baconum incuset quod materiæ unice studeat, nec unquam aliud præter utilitatem colat foveatque. Infra probabimus illi cordi fuisse et justas ferri leges et ex fontibus ipsis philosophiæ ac rationis jus hauriri. Non autem omnino est ab hominum societate amovenda utilitas.

Si quis utilitatis causa legem ferri velit, primum quærat an utile sit legem quamdam ferri, deinde qualis lex esse debeat.

III. AN UTILE SIT LEGEM FERRI. — Lex omnis aut omnino nova est si de re intractata fertur, aut antiquæ legi obrogat.

De lege omnino nova nihil est apud Baconum. Etenim ubi res eam reposcunt, quum nullam esse ægre ferant omnes, utilitas satis plane unanimo consensu declarari solet: quæ esse debeat in dubio est, eam ferri debere omnes confitentur.

(1) Bossuet, loc. cit. 7e prop.

(2) M. Ortolan, Droit pénal, 85.

De *innovationibus* (1) multo magis disseritur; merito. Si quis enim novarum rerum avidus est, leges, quæ vigent, mutare in animo habet. Lex omnino nova communi consensu an utilis sit facile intelligitur; veteribus autem placitis *omne ferre punctum* raro evenit, rarius omnibus displicere. Quot et quantæ res hic locum habeant, hominum cupiditates, virtus ipsa placitorum, ratio temporum incredibile est.

Multis autem modis legi obrogatur; ea enim aut corrigi, si quid in se vitiosum habeat, aut suppleri, si quid desit, aut omnino tolli, si desuescere cœperit, potest; nec modo legi scriptæ obrogari solet, sed et his, qui non minorem habent vim quam leges, moribus.

Multa optimis in legibus mutentur necesse est: ea est vis naturæ atque necessitas ut quicumque prisca retinere instituta videantur, inviti quoque istis derogare quotidie cogantur. Nihil plane converti mors est. Ea autem gentium quæ libertate fruuntur præcipua laus ac magna felicitas est ut leges suas in melius corrigere semper possint, semper velint.

Jam quando mutanda sit lex videamus.

De statutis quæ aut jam non in usu sunt, aut statutis posterioribus *circa idem subjectum* obstant nulla difficultas esse potest (1). Statim abroganda sunt. Institui quosdam magistratus, tanquam Athenis, Baconus poscit, qui « per triennium, aut quinquennium, aut prout visum fuerit, antinomias retractanto (2). » Obsoletas quoque leges, rogantibus iisdem, tolli jubet, ne « sequatur tormenti illud genus Mezentii, ut leges vivæ in complexu mortuarum perimantur. »

Num magistratus illi Athenis multum profuerint haud satis

(1) Sermones fideles, XXIV.
(1) De Font. jur. L. IV et L. VII.
(2) Ib. L. V.

compertum est : hanc legem apud nos omnino inutilem fuisse constat, qua supremæ curiæ id mandatum fuerat ut quotannis antinomias per Regem resolvendas ad utrumque senatum qui tunc fuit apud nos deferret (1).

Difficilius est quidem de his statuere legibus quæ non jam aut ipso tempore aut legibus aliis abrogantur. Summa diligentia cavet noster ne quis eas imprudentur lædat. Non enim novas res ut in philosophia, ita in jure comprobat, sed « magnum « discrimen inter res civiles et artes » esse monet, « non idem « periculum a novo motu et a nova luce, verum in rebus civi- « libus mutationem etiam in melius suspectam esse ob perturba- « tionem, quum civilia auctoritate, consensu, fama et opinione, « non demonstratione nitantur (2). » Jacobum regem laudat quod leges vigentes amplectatur novisque rebus adversum se præstet (3).

Quod ad leges supplendas spectat, hac norma utendum esse existimat noster : « Vide utrum dubitetur solum in extraordi- « nariis casibus, an in quotidianis quoque : si in illis, infirmi- « tatem humanam incuses : si in his, vitiosam esse legem pro « certo habeas (4). » Jam locus est novæ alicui legi.

Quod si mala esse videtur lex quædam omnibus in casibus, abrogandam eam esse censeamus.

Ne autem turbulenta mutatio fiat : « Prudenter facient homines, « si in innovationibus suis a tempore exemplum petant : tempus « enim innovat vel maxime, sed tacite, pedetentim ae sine

(1) L. 30 juillet 1828, abrogata lege 1 avril 1837.

(2) Nov. Organum lib. I, 90.

(3) The charge against M. Oliver-St-John scandalizing and traducing in the public sessions letters sent from the lords of council touching the benevolence.

(4) A proposition to his Majesty touching the compiling and amendment of the laws of England.

« sensu... Expedit præterea experimentis novis, in corporibus « politicis medendis, non uti, nisi urgens incumbat necessitas « aut evidens se *ostendat utilitas*, et sedulo cavere ut reforma- « tionis studium mutationem inducat, non autem studium mu- « tationis reformationem prætexat. » (1) Animadvertendum est Baconum, quanquam ab experimentis novis abhorret, ea tamen adhiberi pati, si evidens se ostendat utilitas, quum ad utilitatem leges referendas esse censeat.

Quo pacto conficienda sit nova lex jam perpendendum : « Utrumque tempus consule, tum antiquius, ut notes quid « optimum fuerit, tum recentius, ut quid fuerit aptissinum (2). » In eo igitur consistere debet mutatio, ut quantum sæculum permittat, « retrahas res ad primam earum institutionem, quam « autem instituas reformationem absque elatione tui ipsius aut « scandalo priorum temporum fiat (3). »

Ipse Verulamius a litteris ad leges indicat transferendum esse consilium hoc : « Nobis vero ex altera parte (quibus, quantum « calamo valemus, inter vetera et nova in litteris fœdus et com- « mercium contrahere cordi est) decretum manet antiquitatem « comitari ad aras atque vocabula antiqua retinere, quanquam « sensum eorum et definitiones sæpius immutemus, secundum « moderatum illum et laudatum in civilibus novandi modum, « quo, rerum statu novato, verborum tamen solemnia durent : « quod notat Tacitus, *eadem magistratuum vocabula*. (4) »

(1) Sermones fideles, XXIV, *De innovat.* Cf ib. XX : *de regimine valetudinis* : « Secretum enim est et naturale et politicum : tutius est multa « mutare quam unum magnum. »

(2) A collection of sentences out of some of the writings of the lord Bacon. — Serm. fid. XI, *de mag. et dign.*

(3) Cf. de Dign. et aug. sc. : « Horum primus est immodicum studium duorum extremorum, antiquitatis et novitatis, etc. »

(4) Ib. lib. III, cap. IV.

Haud aliter Macchiavellus, quem sæpe noster in scientia civili ducem habuit : « Qui reipublicæ cujusdam liberæ statum mutare « vult communi omnium consensu, aliquid pristinarum forma- « rum retinere debet, ut vixdum mutationem sentiat popu- « lus (1). » Lex enim nova veteris fere auctoritatem usurpat, quum sæpissime nonnisi formam amplectatur populus et veneretur (2).

Consilium istud Verulamii qui et prisca, quantum natura rerum patitur, retenta vult, et nova nonnisi sub veterum specie introduci sinit, multis displicere credo. His enim parum utile, ut reor, videbitur : illis parum philosophicum.

Sunt qui facilius novas leges populo probari censeant, aut certe celerius vigere, si veterum memoria ab omnium mente deleatur : nomina ipsa, quæ in honore diu fuerunt, horrere cœperunt. Quos errare puto. Facilius enim iis legibus parent homines, quibus semper paruisse sibi videntur. Adde quod pessimum sit legum vicissitudines tanquam in consuetudinem transire. Optime dixit Aristoteles ubi parvum oriturum sit commodum, nihil esse mutandum : minus enim prodesse quod aliquid mutetur, quam nocere qnod dediscat vulgus magistratibus obedire : nec artium exemplis credendum, quum legi nulla sit vis ad regendos homines præter consuetudinem, quæ tempore fit (3).

At enim non philosopho dignum est ita antiqua venerari, et illo qui in philosophia novas res affectet, veteres contemnat contemnendasque clamet. Ideo Baconus novis rebus infensus fuit

(1) De Prima Decade Livii. Lib. I, cap. XXV.

(2) Cf. A frame of declaration for the master of the wards at his first setting : « The king... hath commanded certain of his intentions to be « published, because they are somewhat different from the usages of for- « mer times, and yet not by way of novelty, but by way of reformation, « aud reduction of things to their ancient aud true institution. »

(3) De Rep. lib. II, c. V. — Cf. *Bossuet*, loc. cit. l. I, art. IV, prop. 8.

quia Britannus et quia Cancellarius. Equidem non semel puto honorum spe et amore illatas ei quasdam opiniones fuisse : neque Britannicæ indolis eum participem fuisse infitias eo. Quanto autem in honore vetera sint, quanto in amore habeantur majorum instituta legesque apud Britannos, præsertim apud prudentes, quum talem in jure locum vindicent antiqua exempla, nemo nescit (1). Alia autem fuit causa cur Baconus antiquitatem in scientia civili veneraretur, novas res refugeret.

Utilitatem fundamentum esse juris, auctore Bacono, diximus : « Nihil autem, ut ait Macchiavellus, difficilius est, nihil incer« tius, nihil periculosius quam leges novas introduci. Si quis « enim eas proponit, ei adversantur quicumque ex veteribus « utilitatem capiunt, parum succurrunt qui ex novis utilitatem « capiunt, quum et illos timeant, et rebus novis nimis diffidere « soleant. (2) »

Quid vero? et ideo antiqua veneratione sunt digna, quia antiqua sunt. Non enim omnino inutilia ea fuisse verisimile est, quum tam longo tempore steterint, nec ætate sensim dilapsa sint, aut ab hominibus sublata.

Nec solus inter philosophos noster tanta veneratione colenda esse instituta legesque censuit. Scilicet et Cartesius ea extra du-

(1) Bacon, a proposition to his Majesty touching the compiling and amendment of the laws of England : « The laws of England commend « themselves best to them that understand them... certainly they are « wise, they are just and moderate laws ; they give to God, they give to « Cæsar, they give to the subjects that which appertaineth. » — Cf. ejusd. epist. ad *sir G. Villiers*. — A speech made concerning the article of the general naturalization of the Scotish nation. — Idem omnibus Britannis scriptoribus animus fuit : vide multo ante Baconum *Fortescue*, *de Laudibus legum Angliæ*, cap. XXVIII. « Cur prædicta lex Angliæ, « quæ tam frugi et optabilis est, non est toti mundo communis vehe« menter admiror » et c. LIV concludit « leges illas nedum bonas, sed op« timas esse. » — Qua de re multa testimonia reperire est.

(2) De Principe, cap. VI.

bitationem ponenda esse accurate notat (1), et Plato legem istam Atheniensium laudat qua vetabantur juvenes legem carpere, ne audire quidem poterant senum de ea sermones, nisi in laudem ejus compositos (2), pessimum esse civitatis morbum declarat, si alia instituta, aliæ leges cupiantur (3), quicumque autem peregrinati fuerint jubet ut reduces juventutem doceant multo inferiores esse legibus suæ patriæ leges quibus utantur ceteræ nationes (4), et Aristoteles mutandum quidquam negat, nisi inde bonum aliquod magnum consecuturum esse videatur. Attamen nulli inter eos satis est *jurare in verba magistri.* Eos vero non fefellit utilitatis causa publicum privatumque jus constitutum esse, etsi non confessus sit Plato. Præterea ea est vis naturæ ut non omnia apud eumdem hominem in dubitationem adduci, omnia tolli patiatur. Ei enim opus esse requie et portu voluit. Non publicis viris mos est philosophicis studiis incumbere et quasi novas res humana in mente facere; philosophos vero, quum tantam in se ipsis perturbationem esse patiantur, imo cupiant, ab externa omni cura liberos esse oportet.

IV. QUOMODO AN UTILE SIT LEGEM FERRI REPERIRI POSSIT. — Nihil est de quo difficilius præcepta feras, quam de utilitate, quum non ratione, sed usu ea probetur. Civili in scientia, non secus atque in physica, et experimentis et inductione opus est, unde evidenter illa appareat. Nulla autem a se inventa præcepta profert Baconus; qui inveniri queant docet.

Non enim *sterilis* est historiæ quæ dicitur philosophia, non ea quæ, « *tanquam virgo Deo consecrata*, nihil pariat (5). » Imo vel maximus fructus inde percipiendus est. Jure dixit Bossue-

(1) Discours sur la Méthode.
(2) De Legibus, lib. I.
(3) Ib. lib. VII.
(4) Ibid. XII.
(5) De Aug. sc. V, III, 1.

tus (1) historiam, etsi a vulgo negligi possit, regibus legendam esse, quum in ea manifeste cernatur quid possint cupiditates hominum commodaque, temporum rationes, sana aut improba consilia : nihil ad eos docendos utilius esse posse quam vitæ quotidianum usum cum exemplis præteriti sæculi conjungi. Itaque novæ istius scientiæ colligi elementa sæpe reposcit Verulamius : omnia autem facta quasi materiam philosophiæ parasse ei videntur historiarum scriptores, quanquam et in historiis multa desiderantur. Tacitum potius quam Aristotelem Platonemve legendum censet, quoniam « Aristotelis et Platonis mo-
« ralia plerique mirantur, sed Tacitus magis vivas morum obser-
« vationes spirat (2). » Alias nonne ut scriptori *obstetricemur* (3) nos impellit? Sentit tamen ille nondum tantam esse congestam materiæ molem ut philosophicum quoddam monumentum exstruatur, et plura ab historiarum scriptoribus petit. Historiam *litterariam* omnino deesse queritur, utpote qui noverit « rerum
« intellectualium non minus quam civilium motus et perturba-
« tiones vitiaque et virtutes notari posse et regimen inde opti-
« mum educi et institui (4), » « ante omnia etiam id agi se velle
« declarat (quod *civilis historiæ* decus est et quasi anima) ut
« cum eventis causæ copulentur, videlicet ut memorentur na-
« turæ regionum ac populorum, indolesque apta et habilis, aut
« inepta et inhabilis ad disciplinas diversas, accidentia tempo-
« rum quæ scientiis adversa fuerint aut propitia, zeli et mixturæ
« religionum, malitiæ et favores legum, virtutes denique insignes

(1) Disc. sur l'histoire universelle, avant-propos. — Cf. Politique tirée de l'Ecriture-Sainte, liv. v, art. 11, 7e prop. — Macchiav. De Livio, cap. XXXIX.

(2) De interpr. lib. I, 16.

(3) De Aug. sc. II, 10.

(4) Ibid. II, 4.

« et efficacia quorumdam virorum erga litteras promovendas, « et similia (1). » Jam inductioni locus est : ad quam quo pacto accedatur ex omnibus Baconi libris apparet.

Quem ducem sibi elegerit Baconus meminerimus. Quotiescumque in artis civilis mentionem incidit, Macchiavellum tanquam ad respondendum citat, qui omnem tollat dubitationem. Nec defuere qui maligne Baconum Macchiavellum alterum fuisse contenderent, nec ei majori curæ fuisse æquitatem justitiamque. At nunquam pessima istius præcepta refert noster aut probat; imo eum laudat quod « aperte et indissimulanter proferat quid « homines facere soleant, non quid debeant (2). » Ab eo multa ingeniose fuisse et notata et dicta fatendum est : quæ non dubitat Verulamius nec quisquam, ut reor, jure dubitet et referre et probare (3). Sane aliqua præstat Macchiavello noster, quum nihil omnino præter Italiam Italicus scriptor unquam ante oculos habuerit (4), neque, ut Verulamius, philosophiæ luce patriæ suæ instituta moresque illustrare tentaverit. Scilicet inde consecutum est ut æquitatis curam omnem abjiceret, ut Borgiam, veluti optimum exemplar, regibus omnibus proponeret, et pessimas artes suo cum nomine in æternum conjungeret.

(1) Ib., ib., ib.

(2) De Aug. sc. VII, 3.

(3) Ib. III, 1. « Interitus rei arcetur per reductionem ejus ad principia : « regula est in physicis, eadem valet in politicis, ut recte notavit Mac- « chiavellus. » — Ib. VII, 3 : « Sic enim Macchiavello dicere placet quod « si contigisset Cæsarem bello superatum fuisse, Catilina ipso fuisset « odiosior. » — Ib. VIII, 2 : « At modus scribendi qui optime convenit ar- « gumento tam vario et multiplici (quale est tractatus de negotiis et oc- » casionibus sparsis) aptissimus ille est quem delegit Macchiavellus ad « tractandas res politicas, nimirumque observationes sive discursus (ut « loquuntur), neque historiam et exempla. » Multos alios locos prætermitto.

(4) M. Cousin, præfatio ad libros Platonis De Legibus.

Quum non sint Baconi de utili lege ferenda præcepta, qui ipse de utilitate legis cujusdam disseruerit videamus, in *Sermone* ejus de *Usura* (1) paulisper morati. Quot et quanta ex fœnore oriri possint mala testantur et antiquæ civitales in quibus tot seditiones inde ingruerunt, et, apud recentiores, nisi publicæ clades, privata certe multa infortunia, testatur pravum hoc commercii genus ut aliquis, fingendo se pecunia carere, nescio quas merces pro ea tradat, quas emptor statim multo vilius vendat; non enim tantum apud nos illud exstitit, quod poeta noster in scenam induxit, verum et in Britannia, tempore Baconi, qui lege id reprimere in animo habuit (2).

Sermones antea de usura habitos vel potius *invectivas ingeniosas* in fœneratores congestas negligit Baconus; ne Aristotelicam quidem illam vocem « rem esse contra naturam ut pecunia ge« neret pecuniam » amplecti aut impugnare dignatur : « Ego « vero hoc dico tantum, fœnus esse inter concessa propter du« ritiem cordis. Quum enim necesse sit hominibus ut pecunias « mutuo dent et accipiant, sintque tam duro corde ut eas gratis « commodare nolint, reliquum est ut permittantur usuræ. » Non enim humanæ legis est cogere homines ut mutuæ caritatis causa

(1) Sermones fideles, XXXIX.

(2) A draught of an act against an injurious shift of gain, in delivering of commodities : « Whereas it is on usual practice to the undoing and over« throwing many young gentlemen and others, that when men are in « necessity and desire to borrow money, they are answered that money « cannot be had, but that they may have commodities sold unto them « upon credit, whereof they make money as they can, etc., — Hanc legem edictam voluit Baconus, ut fœneratores, pro mercibus venditis, nulla actione munirentur, et pœnis gravissimis (« to forfeit for every such « offence the sum of one hundred pounds, to be punished by six months « of imprisonment and by the pillory ») afficerentur.

et damnum patiantur et lucri spem amittant. Inde « optimum « fuerit proponere nobis ante oculos fœnoris commoda et incom- « moda, ut bonum vel ponderetur vel separetur : quinetiam ca- « vere inprimis ne, dum fœnore feramur in melius, intercipia- « mur et intercedamus in pejus. »

Septem autem sunt fœnoris incommoda : quod mercatorum numerum minuit, prævalente hac pecuniæ in fœnus erogatione, quod mercatores inopes reddit, nimia usura prægravatos, quod portoria et vectigalia minuit, quod thesaurum et pecunias regni in paucorum manus reducit, quod prædiorum pretium deprimit, quod omnes labores, molimina et inventa nova enervat et hebetat, quod tinea est et teredo facultatum populi.

Rursus commoda fœnoris hæc sunt, majora quidem, Verulamio judice : quod, utcumque usuræ in aliquibus mercaturæ nocent, in aliis nihilominus prosunt; quod, nisi prompta hæc a fœneratoribus pecuniarum mutuatio hominum necessitatibus subveniret, in extremas augustias cito redigerentur, quandoquidem cogerentur res suas (sive bona mobilia, sive prædia) nimis vili pretio vendere; quod mutuatio pecuniarum nulla esse potest, nisi admisso fœnore. « Itaque de abolendis prorsus « usuris sermones facere ineptum foret. »

« Patet jam, conferendo inter se commoda et incommoda « usurarum (quod modo fecimus), duo esse quæ reconciliare « oportet : prius, ut retundantur dentes fœnoris, ne nimium « mordeant : secundum ut viris pecuniosis aperiatur via qua ad « pecunias mercatoribus præstandum invitentur, ne commer- « cium intercedat aut languescat : hoc autem fieri non potest, « nisi in fœnore duas proportiones introducas, minorem et « majorem. » Illa autem, omnibus permissa, ad partem vicesimam sortis pro mutuatione in annum reducatur : hæc ad duodecimam. Certis quibusdam hominibus commodandi licentia concedatur, nec possint commodare, nisi mercatoribus notis, principe pro illa exiguam aliquam summam percipiente : quibus

ea concedatur minime numero definiti sint, sed ad urbes aliquas restringantur (1).

Nunc autem alia est quæstio : jam non ambigitur an prohibenda sit usura necne, verum an includenda intra legitimos limites. Hinc enim æquitas opponitur quæ cives libere inter se convenire poscit quumque nihil aliud sit atque merx quædam, cujus pretium varium esse queat, pecunia, eam, secundum rationem temporum, arbitrio domini, locari. Illinc negatur eam mercibus assimilari posse, prætexitur utilitas: ipsa vero de utilitate certatur. Non est nostrum *tantam componere litem*: Baconum nonnulla fugerunt, quæ post eum usuræ gratia dicta sunt. Ne illa quidem, quam pro utilissima jactat, lex optime in utilitatem composita est. Pro licentia commodandi mercatoribus, exiguam summam principi rependi jubet : quis autem nescit ægerrime, licet exiguas, principi præstari summas, et, ut effugiatur una pars legis, ceteras quoque præternitti posse? Nec laudo tot *cautiones additas* majori usuræ, scilicet ne sine licentia exerceatur neque extra urbes aliquot : quo pauciores enim sunt a quibus emere fas sit aut conducere, eo carius est emendum conducendumve, facilius libentiusque lex violatur. Quid vero ? ne utilitatem quidem satis clare omnibus hominibus apparere constat, quæ sæpius post sæcula aliquot nondum manifesta est, Baconus vero quid in animo habuerit, quantum in lege locum utilitati relinquendum censuerit perpendimus.

Discernendum quidem utrum in tempus an in æternum sit lex ferenda. Quasdam enim leges tempora reposcunt; temporibus

(1) Blackstone, II, c. XXI : « Grotius informs us that in Holland the rate « of interest was then eight per cent in common loans, but twelve to « merchants. And lord Bacon was desirous of introducing a similar policy « in England, but our law establishes one standard for all alike, where « the pledge of security itself is not put in jeopardy. »

autem mutatis, hæ mutentur et ipsæ necesse est. Illæ « non in « tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum « conduntur (1). » Utrasque autem distinguere magni est momenti, nec injuria Henricum VII laudavit noster quod leges tulerit non horæ uni servientes, sed in futurum prospexerit, regnum magis magisque prosperum fieri cupiens (2).

Quum utilitatis causa feratur lex, consequitur eam « cum « forma politiæ congruam esse debere (3). » Illam esse dignitatem legis scribit Baconus : deest vero de ista libellus.

Non aliter dixit Aristoteles : Φανερὸν ὅτι δεῖ πρὸς τὴν πολιτείαν κεῖσθαι τοὺς νόμους. Ἀλλὰ μὴν εἰ τοῦτο, δῆλον ὅτι τοὺς μὲν κατὰ τὰς ὀρθὰς πολιτείας ἀναγκαῖον εἶναι δικαίους, τοὺς δὲ κατὰ τὰς παρεκβεβηκυίας οὐ δικαίους (3).

Etenim utilitatis omnium causa constitutam esse societatem quamdam diximus : quam igitur assumpsit formam, hanc omnium quoque interesse necesse est. Lex autem utilitatis causa introduci debet : quum igitur referat omnium formam quamdam civitatis manere, qui utile possit edictum aliquod ferri, iidem contrarium? Quid tamen si ipsa reipublicæ forma civibus inutilis esse debeat? Tunc leges eo utiliores esse quod a reipublicæ forma abhorreant reor : sed homines penes quos sita sit earum ferendarum potestas, id est, quorum intersit durare formam illam, ita commodorum suorum oblivisci ut iis contrarias leges ferri patiantur, imo ferant, minime verisimile est. Præterea quanquam sæpe evenit pessimo regimine uti civitates, quodcumque est regimen, quamdiu durat, bonum esse conjiciendum est et optime commodis omnium aut certe plerorumque convenire : sin minus nullum jus publicum esse potest.

(1) T. Liv. XXXIV, s.
(2) Hist. regis Henrici VII.
(3) De Font. juris, VII.
(4) Polit. lib. III, cap. VI. — Id. lib. LV, cap. I.

Ex eo quod optimam esse formam civitatis conjiciendum sit sequitur secundum eam faciendas esse leges. Quod declarat Tullius : « An censes, quum in illis de republica libris persua- « dere videatur Africanus omnium rerumpublicarum nostram « veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimæ reipu- « blicæ leges dare consentaneas?(1) » « Nos autem, quoniam leges « damus liberis populis, quæque de optima republica sentire- « mus, in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tem- « pore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum (2). » Nonne ideo leges ad rempublieam accommodare velle videtur Tullius, quia optimum esse civitatis suæ statum censet?

Ne quis autem leges ferendas esse arbitretur, ut iis prosint quibus est commissa reipublicæ summa. Jure enim Plato (3) leges ad commune bonum tendere jubet, quæ autem paucorum gratia componendas, eas factiosas vocat, justitiamque inanem vocem esse declarat. Non unice lex statuenda est, quia inde ad regem utilitas aliquia descendere potest, nisi omnes utilitatis participes futuri sunt. Regis magistratuumque commoda a totius civitatis commodis difficillime fateor discerni posse, præsertim quum ipsius regis, ipsorum magistratuum facere discrimen sit : hinc vero pendet an legitima justaque sit civitatis gubernandæ forma : Φανερὸν ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσιν, αὗται μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν οὖσαι κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον, ὅσαι δὲ τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων ἡμαρτημέναι πᾶσαι καὶ παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν · δεσποτικαὶ γὰρ, ἡ δὲ πόλις κοινωνία τῶν ἐλευθέρων ἐστίν (4).

Optime philosophus ille, qui legum naturam, eas inter se componendo, quæsivit, intellexit quid sit leges congruere cum forma

(1) De Leg. II, 10.
(2) Ib. III, 2.
(3) De Leg. IV.
(4) Aristot. Pol. III, 4.

civitatis (1). Eas ad naturam, ad principium ejus referri debere asseverat. Exemplum a recentioribus nostris legibus capiatur : quum in civitate nostra æquo jure omnes essent, *substitutiones fidei-commissariæ* tollendæ fuere, utpote quæ aliam civitatem decerent (2).

Juri publico jus civile consentaneum sit necesse est ; non autem quæstiones quæ ab uno pendent alteri subjectas esse debere animadvertendum est (3).

V. LEGEM EXSECUTIONE COMMODAM ESSE DEBERE. — Lex autem, quamvis prudentissime facta sit, inutilis est nisi servatur. Non enim ad hoc fertur ut torpeat, sed ut vitæ hominum misceatur, eam temperet regatque. Hanc igitur dignitatem legis vult Verulamius esse, ut sit *exsecutione commoda* (4).

Ideo ille vetat jus quod ad pœnas attinet nimis asperum esse : nimio enim ejus rigore in desperationem adduci solent homines (5). Nec eo leges ad reprimenda scelera efficaciores esse quo duriores sint existimandum : imo si qua graviore pœna confitentem reum afficere aut eumdem absolvere coguntur judices,

(1) Montesquieu, *Esprit des Lois*, Liv. I, ch. III. — et liv. V. — Que les lois que le législateur donne doivent être relatives au principe du gouvernement.

(2) Fenet XII ; p. 282 et 287. — Or. *Berlier* et *Portalis*.

(3) Mont. *Esprit des Lois*, liv. XXVI, ch. XV : Qu'il ne faut pas régler par les principes du droit politique les choses qui dépendent des principes du droit civil. — Ch. XVI : Qu'il ne faut pas décider par les règles du droit civil, quand il s'agit de décider par celles du droit politique. — Cf. Fénelon. Divers mémoires concernant la guerre de la succession d'Espagne. VI : « Il faut regarder cette renonciation (*Mariæ-Theresæ*) non « selon les coutumes des lieux qui décident des champs et des prés, des « familles particulières, mais selon un droit supérieur qui est le droit « des gens. »

(4) De Font. juris, VII.

(5) A certificate to his Majesty touching the projects of sir Stephen Proctor relating to the Penal laws.

quanquam hoc munus assumpserunt ut legem servarent, homines sunt tamen, nec nocentem absolvere dubitant. Inde fit ut sui nisi odium crudelitate, certe contemptum impunitate mentibus omnium injiciant leges.

Eadem in civili jure obtinet regula. Nempe nihil est magis Baconi legi de fœnore exprobrandum, quam quod nullo modo utilis esse potuerit. Non enim majorem usuram, nisi quibusdam in locis, permittendo, addita quæ rependenda fuerit principi summa, nihil aliud egit, nisi ut omnes ad spernendam legem incitaret, quum nullo pacto an spreta fuisset illa probari posset, nulla ferri pœna.

Fit sæpe ut mole legum jus obruatur (1), nec jam quæque possit servari. Quod vitium quomodo corrigendum sit infra videbimus.

VI. LEGEM PRÆCEPTO JUSTAM ESSE DEBERE. — Nnnc autem ad dignitates legum transire tempus est : quinque esse scribit Baconus, scilicet, ut lex sit *intimatione certa*, *præcepto justa*, *exsecutione commoda*, *cum forma politiæ congrua*, *generans virtutem in subditis* (2). Quod ad *exsecutionem formasque politiæ* spectat, de utilitate dicendo tractavimus. Ceteræ dignitates quæ sint perpendendum.

Lex præcepto justa esse debet.

Eum esse finem legum ut *cives feliciter degant* dixit Baconus : non autem eo est bona lex, quod inde utilitas aliqua ad populum manare creditur.

Si nulla alia de causa legi parendum sit, quam quod utilis habeatur, penes vim imperium totius humani generis relinquendum sit. Namque ubi quod plerisque prodest mihi nocet, utili-

(1) Ib. « It is most certain that your people is so ensnared in a mul-
« titude of penal laws, that the execution of them cannot be borne. »
(2) De Font. juris, VII.

tati meæ meipsum consulere quis miretur, nisi forte pœna aliqua sanciatur lex, id est, si eam servare cogar? Quid vero? Multum inter se differunt cogi et parere. Inviti enim cogimur, libentes paremus. Parere autem ubi lex nobismet ipsis utilis habetur, nobis facillimum est, nec jam est parere : pares, si quid te lædit, quod tamen libens servare videaris. Hoc est quod lex ab omnibus hominibus jure repetere possit, ut pareatur.

Leges consentaneas esse oportet justitiæ, cui parere ratione jubemur. Vere igitur Tullius legem dixit esse « rationem profectam « a rerum natura et ad recte faciendum impellentem et a delicto « avocantem; quæ non tum denique incipit lex essé, quum « scripta est, sed tum, quum orta est. Orta est autem simul « cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps apta « ad jubendum et ad vetandum ratio est recta summi Jovis (1). » Non aliter et Plato nihil esse unicuique nostrum commodius clamat, quam ut a domino quodam sapiente divinoque regatur, sive iste intus habitet, quod melius sit, sive extrinsecus imperet (2), et Aristoteles ab eo qui jubet imperare legem juberi ut imperent deus animusque, ab eo qui jubet imperare hominem juberi quoque ut imperet bestia docet (3).

Quid vero? « Atqui non legem bonam a mala, nulla alia nisi « naturæ norma, dividere possumus : nec solum jus et injuria « a natura dijudicantur, sed omnino omnia honesta ac tur« pia (4). » Philosophiam amplectatur legumlator necesse est. Ideo Baconus de lege-communi (5) scribendo non modo varietatem huic studio a se afferri cupit, sed et ex philosophia

(1) De leg. II, 4.
(2) Polit. IX.
(3) Polit. III, II.
(4) Cic. de Leg. I, 16.
(5) *Common-law*.

aliquid haurire tentat, declaratque rationes *municipalium legum* (1), si eas a rationibus naturæ, doctrinæque civilis separatas velis, florum similes esse, qui in muris oriuntur, nullo radice, quamvis in loco excelso esse videantur (2) « Videmus in ludis, puta scacchorum aut similibus, primas ludi normas et leges mere positivas esse et ad placitum, quas recipi, non in disputationem vocari prorsus oporteat : ut vero vincas et perite lusum instituas, id artificiosum est et rationale ; eodem modo fit et in legibus humanis, in quibus haud paucæ sunt *maximæ* (ut loquuntur), hoc est, placita mera juris, quæ auctoritate magis quam ratione nituntur, neque in disceptationem veniunt : quid vero sit justissimum, non absolute, sed relative (hoc est ex analogia illarum maximarum), id demum rationale est et latum disputationi campum præbet. Talis est secundaria illa ratio, quæ in theologia sacra locum habet, quæ scilicet fundata est super placita Dei (3). » Non in jure, ut in physicis scientiis, de principiis dubitari posse Baconus agnoscit. Quid igitur agere debet legumlator, nisi ut *placita* illa *mera juris*, quæ vere Dei sunt, ante oculos habens, inde, *secundaria* ista *ratione* adjuvante, justi injustique distinctionem deducere conetur?

Nec modo cum ratione congruere debent leges, verum etiam plurimi refert id omnibus persuasum esse. Exemplum recentius sumere liceat. Nunc an dominii jus rationi sit consentaneum disputatur ; si quis negat hominem aliquem, maximo cum detrimento generis humani, unicum alicujus rei dominum esse, argumentum a Bossueto sumere potest, qui scripsit :

(1) Non hoc nomine vocat Baconus leges quæ ad municipale jus attinent, sed commune jus a civili, id est Romano, jure distinguit.

(2) The arguments in law in certain great and difficult cases. Preface.

(3) De Aug. sc. IX, 1.

« Sublata civitate, terra omniaque bona ejus non minus om-
« nium sunt communia quam aer et lux. Deus omnibus dixit :
« *Crescite et multiplicamini et implete terram.* Omnibus dat
« indistincte omnem herbam quæ germinat in terra, omnes
« silvas quæ nascuntur. Secundum antiquam illam legem na-
« turæ, nemini est jus proprium ac singulare in aliquam rem,
« omnia omnium sunt (1). » Quid autem? Estne juri naturali contrarium aliquem alicujus rei dominum esse? Non licet, utilitatis causa, jus lædere, omnia omnium communia sint, nisi forte aliquis demonstrat labore justum acquiri dominium, arcum hominis esse debere qui eum fecit, fruges hominis qui solum coluit.

Nec satis : quandoquidem per laborem dominium acquiritur, illud una cum labore tum nasci, tum mori contenditur (2), nec homini fas esse voluntatem ultra mortem prorogare : inde successiones omnino juris civilis esse consequitur. Nonne illud fuit argumentum et scriptoribus et oratoribus qui communicare inter omnes bona omnia voluerunt? Dominium autem, nisi alienas faciendi res potestatem includit, usumfructum esse patet, nec aliquis ultimam voluntatem testari potest, nisi vivit. Quid si et natura et communis hominum sensus in idem quoque conveniunt? Itaque apud nos non ante lex de testamentis rogata est, quam jure naturali unicuique hominum testamendi faciendi libertatem fuisse concessam declaratum (3).

Nulla est humana lex quæ omnibus in casibus justa sit : ea justa habeatur, qua nulla alia pluribus in casibus justa esse queat.

(1) Politique tirée des propres paroles de l'Ecriture-Sainte, liv. I, art. III, 4e prop.

(2) Blackstone, t. II, cap. I. — *Mirabeau* in suprema oratione.

(3) Bigot-Préameneu. — *Présentation au Corps-Législatif et exposé des motifs.*

Duo quidem injustitiæ genera sunt : unum quod legi videtur inesse, alterum quod ex temporis ratione quod amplexura sit illa procedit.

Quæ sit in lege injustitia exemplis probare vix operæ pretium est. Injustitia quidem lato sensu quodcumque rationem lædat amplectatur. Sublata vult Baconus « lupanaria, prostibula, me« retrices conductitias » et omnia hujusmodi, quæ, tanquam utilia, nonnulli defendunt, illicita sane, omnium consensu, sunt (1). Utinam et ipse semper ab injustitia cavisset! Injustissima lex obtinuit in perduellione nihil accessorium, omnia principalia esse (2) : quam a Bacono damnatam fuisse velim, ab illo in ipsius amicum, in patronum esse conversam indignor.

Non minor autem ex temporibus procedere potest injustitia. Cui optime cavit Verulamius in aphorismis *De Retrospectione legum* (3).

« Raro et magna cum cautione adhibendas esse leges quæ re« trospiciant, ut vulgo loquuntur, » censet : « non enim sibi pla« cere Janum in legibus. In casibus fraudis et evasionis dolosæ, « justum est ut leges retrospiciant, atque alteræ alteris in subsi« diis sint. Leges quæ instrumentorum veras intentiones contra « formularum aut solemnitatum defectus roborant et confir« mant, rectissime præterita complectuntur, dummodo ne con« vellantur res judicatæ. — Diligenter autem attendendum ne eæ « leges quæ in futurum factum respicere videantur, cum præte« rito sint connexæ : veluti si quæ lex artificibus aliquibus in« terdicat ne mercimonia sua in posterum vendant, hæc sonat « in posterum, sed operatur in præteritum, neque enim illis alia « ratione victum quærere jam integrum est. — Lex declaratoria

(1) Nova Atlantis, 22.
(2) Declaration of the treason of Robert, earl of Essex.
(3) De Fontibus juris, XLVIII-LI.

« omnis, licet non habeat verba de præterito, tamen ad præte-
« rita, ipsa vi declarationis, omnino trahitur : non enim tum
« incipit interpretatio quum declaratur, sed efficitur tanquam
« contemporanea ipsi legi. »

Non autem injustum est quod dici solet quibusdam rebus favere legem : « Lex æqua est, neque cuiquam favet : Verum est, non « personis, sed rebus ea favet. Nonne hoc est commune principium tribus rebus, vitæ, libertati et usuifructui qui uxori superstiti relinquitur eam favere? Cur autem illis favet? Quia lex « nostra naturalem legem fundamentum habet, tres autem istæ « res a lege naturæ proficiscuntur; naturale enim servari vitam; « naturalis libertas, quam nulla bestia, nulla avis non quærit « affectatque : naturalis viri mulierisque societas illa, cui præmium naturale est, ususfructus ille (1). »

Non autem omnibus tempestatibus eadem esse æqua videntur. Nunc enim feudorum consuetudines pro iniquis habentur; quas Baconus libertatis argumentum declarat, nedum damnatas velit : « Hoc præcipue apparet liberam esse monarchiam nostram ; « quod hinc nullus sit ager, cui tributum censusque indicatur, « nisi ex parliamenti sententia : illinc nullus sit quem non ex « corona, interposito aut omisso medio, secundum consuetudines feodales pendere faciat lex communis nostra (2). » Quodcumque consuetudines istas lædat, tanquam civitatis formæ institutisque contrarium, vituperat, minime an æquum sit curat (3).

VII. A LEGE GENERARI VIRTUTEM IN SUBDITIS DEBERE. — Ex titulis quos omisit tractare Verulamius, nullum esse fateor

(1) The argument of sir F. Bacon in the case of the Post-Nati of Scotland.

(2) The argument in Law's case of Tenures.

(3) Certain observations upon a libel published, 1692.

quem in eo defuisse ægrius feram : ceteri enim quid velint protinus intelligitur, et, ipso Bacono deficiente, saltem quid in animo tulerit indicare licet : hic vero satis obscurus esse videtur, neque is quem supplere ex operibus nostri in promptu sit.

A Platone omnia in id composita ut virtus civium confirmaretur augereturque diximus : hujus autem præcepta a nostro repudiata sunt, qui huc præsertim leges tendere jubet, ut *cives feliciter degant.* Leges igitur utilitatis, non virtutis causa constituendas esse, Bacono judice, patet. Non nescio luculentissime a Tullio demonstratum esse veram utilitatem nullo modo a justitia differre, neque quidquam ulli commodius esse quam ut bonus sit. Quid vero ? Hoc ad unius cujusque conscientiam pertinet, an omnino ac vere justus sit : hoc ad leges, an civiliter, ut ita dicam, justum se præbeat, id est, neminem lædat, suum cuique tribuat. Exemplum a fœnore petatur quod sane multis in casibus virtuti contrarium esse potest, hominibus tamen propter *duritiem cordis* concessum esse agnoscit Verulamius. Namque hominibus utuntur legumlatores, quales fecit natura (1). Neque alia est causa cur Baconus in politicos viros sæpe invehatur, qui « circa leges quidem nimium satagant, circa edu« cationem indiligentes sint (2), » cur ipse in hac tam sæpe moretur (3); educatione enim seruntur mores, qui multo plus

(1) Aristot. Pol. I, III, 10.

(2) De Aug. sc. I.

(3) De subsidiis facultatum intellectualium ad H. Savilium : « Cœpi « considerare eam politiæ partem, de qua philosophia nimium, leges « autem minimum loquuntur, et est Juventutis educatio. » Sæpe jesuitarum desiderat industriam solertiamque « tam in doctrina excolenda « quam in informandis moribus. » (De Aug. sc. I.) — Ib. (VI, 4) scribit : « Consule scholas Jesuitarum : nihil enim quod in usum venit his me« lius. — Cf. de educatione Tullium, de Legibus VI. — Et de Rep. IV, 3 :

quam leges valere solent ad virtutem propagandam. Moribus ipsa imbuatur mens tota necesse est : legibus regenda est quædam pars vitæ.

Quis fuerit animus Verulamio, virtutem legi generandam scribenti, in dubio est.

Num Tullio assentitur? « Ille civis, ait iste, qui id cogit omnes « imperio legumque pœna, quod vix paucis persuadere oratione « philosophi possunt, etiam his, qui illa disputant, ipsis est « præferendus doctoribus (1). » Non ea est virtus quam *imperio legumque pœna* omnes coguntur amplecti; multa enim extra legem remanent, unde, sublato timore, ne tollatur virtus valde timendum est. Nec id Baconum fefellit, qui nimis legibus, parum moribus consuli questus est.

At enim præceptis justæ debent esse leges : hæc est autem justitiæ vis, ut, ipsius exemplis editis, justi fieri cæperint homines, quumque unam illius partem regat jus, omnes autem partes inter se arctissimo quodem vinculo contineantur, quicumque unam colat ad ceteras amplectendas sensim, invitus quoque, ducatur. Non quidem nego miram esse vim quum pravi, tum sani exempli, et, si quis nullam unquam legem lædat, eumdem bonum esse facile credam : neque satis est laudare bonum civem, utpote qui legibus omnibus pareat, nisi vitam omni puncto perfectam agat et legumlatoris consilia sequatur, et quid ille jubeat, et quid probet improbetve respiciens (2). Quod si nihil aliud sit virtutem a lege in subditis generari, jam sufficiat dixisse præcepto justam esse debere legem.

« Principio disciplinam puerilem ingenuis : de qua Græci multum frustra « laborarunt, et in qua una Polybius, noster hospes, nostrorum institutorum negligentiam incusat; nullam certam aut destinatam legibus « aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt. »

(1) De Rep., I, 2.

(2) Plat. de Leg., VII.

Nescio an Verulamius quasdam leges sibi proposuerit quæ ad virtutem tendere videantur, scilicet si qua rogetur ad ebrietatem puniendam, ad bestias ab ictibus tuendas et quæcumque de educatione ferantur. Instituendi enim sunt juvenes, non tantum ad dicendum, ad militandum, sed ante omnia ad bene vivendum, id est convenienter virtuti. Attamen animadvertendum est Verulamium ad communem quandam omnium legum dignitatem respexisse, non ad paucarum munus. Quam paucæ sint leges istæ, ad virtutem accommodatæ, quis nescit?

Quid restat, nisi quod Baconus parum sibi constiterit et Platonica, licet a se aliena, præcepta secutus sit? Quicumque novas res facere videntur, iis multa vetera retinere mos est, sive ipsi, vigentibus istis, instituti fuere eaque in honore habere assueverunt, sive victis nonnulla concedere coguntur et quodammodo æquam cum iis pacem componere. Non aliter Baconus, quanquam omnino novam facere philosophiam visus est, nonnulla tamen servavit et Platonica et Aristotelica. Non huc unice tendere legem patitur ut boni fiant homines, hanc vero ejus esse dignitatem declarat: præcepto igitur minorem quidem, quemdam certe locum relinquit. Illud nullo in libro, nisi *Nova* in *Atlantide* ad usum trahere tentavit (1); *nova* autem *Atlantis* omnino Platonica est (2).

VIII. LEGEM CERTAM ESSE DEBERE (3). — Non enim aut utilis aut justa esse ullo modo potest, si quod ferat in incerto esse patitur. « Legis tantum interest ut certa sit, ut absque hoc nec « justa esse possit. *Si enim incertam vocem det tuba, quis se pa-* « *rabit ad bellum* (ad Corinth. epist. 1, c. IV, vers. 3-8.)? Simi- « liter si incertam vocem dat lex, quis se parabit ad parendum?

(1) Vid. Tirsani festum, 20 et 24.
(2) Leges Platonicæ de exterorum commercio huc translatæ sunt, 15.
(3) De Font. juris, tit. I. De prima dignitate legum, ut sint certæ.

« Ut moneat igitur oportet, priusquam feriat. Etiam illud recte « positum est optimam esse legem quæ minimum relinquit ar- « bitrio judicis : id quod certitudo ejus præstat (1). »

Duas igitur dignitates ea, quæ nunc agitur, dignitas includit, scilicet ut quid de unoquoque casu velit lex quam minime dubium sit, arbitrio vero judicis quam minimum relinquatur.

« Duplex legum incertitudo : altera ubi lex nulla præscri- « bitur; altera, ubi ambigua et obscura (2). »

1. *De casibus omissis a lege* : « Angustia prudentiæ humanæ « casus omnes quos tempus reperit non potest capere. Non raro « itaque se ostendunt casus omissi et novi (3). » In quibus quod sit officium judicis protinus quærit Baconus, infra videbimus.

Lex autem nulla est de casu quodam, sive iste omissus est in lege sive *postnatus* (4) est.

Qui omitti possit haud ægre intelligitur. Nunc enim, enumeratis in lege casibus, unus prætermissus est; nunc, quum genus quoddam rerum factorumve lex amplectitur, verbis usa est nimis angustis. Legumlatoris est utrumque vitium fugere. Utrum casus singulos enumerare debeat an omnes una sententia comprehendere, exceptis, si qui extra placitum maneant, non potest decerni, nisi utrum plures casus lege regantur an excipiendi sint sciveris.

Novos autem casus omissos fuisse nulli querela esse potest. Attamen et illi legumlatori prospiciendi sunt, si, lege lata, eos secuturos esse appareat.

2. *De obscuritate legum* (5). « Obscuritas legum a quatuor

(1) Ib., VIII.
(2) Ib. IX.
(3) Ib. X.
(4) Ib. XX.
(5) Ib. LII.

« rebus originem ducit : vel ab accumulatione legum nimia, « præsertim admixtis obsoletis, vel a descriptione earum ambi- « gua, aut minus perspicua et dilucida; vel a modis enu- « cleandi juris neglectis, aut non bene institutis; vel denique a « contradictione et vacillatione judiciorum. »

Contradictio autem judiciorum enucleandique juris modi ad alias partes spectant : nunc tractandum est de descriptione legum ambigua atque de accumulatione nimia.

De descriptione legum perplexa et obscura (1). — « Des- « criptio legum obscura oritur aut ex loquacitate et verbositate « earum, aut rursus ex brevitate nimia, aut ex prologo legis « cum ipso corpore legis pugnante. » Addendum est quoque ex obscuritate verborum.

Solent quidem verbosæ leges scribi, quo certius omnes controversiæ litesque dirimantur. At « quum casus singulos particu- « lares verbis oppositis et propriis persequi et exprimere « contendat, majorem inde sperans certitudinem, e contra « quæstiones multiplices parit de verbis. »

Brevitas autem non minus est fugienda, lex enim brevior regulæ lesbiæ instar est (2), quæ omnimodo flectatur vertaturque. « Mediocritas ergo assectanda est, et verborum exquirenda « generalitas bene terminata, quæ licet casus comprehensos non « sedulo persequatur, attamen non comprehensos satis perspi- « cue excludat. »

Non insulse Baconus leges, quas *ordinarias et politicas* vocat, a ceteris distinguit, in quibus quum nemo soleat prudentem audire « omnia fusius explicari debent et ad captum vulgi, tan- « quam digito, monstrari. »

Prologos legum damnat noster, quos olim pro ineptis habitos

(1) Ib. LVI et sqq.
(2) Arist. Moral., lib. V, cap. 10.

fuisse libentissime animadvertit, consentaneosque esse naturæ legi, cujus sit jubere, non disputare, negat. Quum tempora istos reposcant, non omnino eos tolli requirit, sed, quantum fieri possit, *legem incipere a jussione* cupit. Ex prologis enim multæ difficultates in interpretatione legis oriuntur, quum inter se nonnumquam pugnare videantur, fere parem auctoritatem usurpent.

Malo equidem Platonicam sententiam (1), quumque leges justæ esse debeant, quum eæ sint quibus deceat homines, non tantum vi, sed potius ratione coactos parere, hoc mihi videtur cum dignitate tum legum, tum hominum convenire ut illæ non ferantur, nisi antea æquitati congruas esse eas probatum sit. Nihil est cui parere debeant homines, nisi rationi : nonne eam legem, cui parere jubentur, rationis participem esse docendi sunt? Nulla lex apud nos fertur, cui non tanquam prologus sit, una cum illa ad legatos perlatus. Nolumus tamen longiorem esse sermonem istum, quamvis longum esse quidquam, si bonum sit, neget Plato : non enim legis est, ut optime dixit Baconus, disputare; satis est in eo capita rerum præstringi. Exemplo sint prologi legum, quæ in Codicem Civilem nostrum coactæ sunt.

Quod si nihil aliud in prologo quam suadeatur lex, nullas hinc tenebras orituras esse constat. Sed plerique huc exempla, exceptiones inserere solent : inde obscuritas, inde controversiæ.

Est enim, ut ait noster, « genus præscribendi leges valde vi-
« tiosum, quum scilicet casus ad quem lex collimat, fuse expri-
« mitur in præambulo, deinde ex vi verbi talis aut hujusmodi
« relativi, corpus legis retro vertitur in præambulum : unde
« præambulum inseritur et incorporatur ipsi legi, quod et obs-
« curum est et minus tutum, quia non eadem adhiberi consuevit

(1) De Leg. IV.

« diligentia in ponderandis et examinandis verbis præambuli,
« quæ adhibetur in corpore ipsius legis. »

Obscuritas verborum eo magis timenda est, quod nihil est quod facilius legum scriptorem fallat. Plerisque verbis non uno in vulgari lingua significatio est : quid si ad hoc sensus accedat artis vel scientiæ cujusdam proprius? Itaque voces multas definire nonnulli cœperunt : iisdem vero occurrentibus, a definitione nunquam non, inviti quoque, recedunt, in usitatosque sensus delabuntur. Quot inde coortæ sint nostro in jure controversiæ mirum est (1).

De accumulatione legum nimia. — Huic duplex remedium adhiberi potest; nunc enim pars juris obruitur quæque de ea sunt leges in unum cogendæ, nunc jus omne.

De materia quadam « duplex in usum venit statuti novi « condendi ratio : altera statuta priora circa idem subjectum « confirmat et roborat, dein nonnulla addit aut mutat; altera « abrogat et delet cuncta quæ ante ordinata sunt et de integro « legem novam et uniformem substituit. Placet posterior ratio. « Nam ex priore ratione ordinationes deveniunt complicatæ et « perplexæ, et quod instat agitur sane, sed corpus legum « interim redditur vitiosum. In posteriore autem major certe « est adhibenda diligentia, dum de lege ipsa deliberatur; et

(1) De descriptione legum obscura, vid. Montesquieu, *Esprit des lois*, liv. XXIX, c. XVI : Choses à observer dans la composition des lois. — « Le « style en doit être concis... le style des lois doit être simple... Il est « essentiel que les paroles des lois réveillent chez tous les hommes les « mêmes idées... Lorsque dans une loi l'on a bien fixé les idées des « choses, il ne faut pas revenir à des expressions vagues... Les lois ne « doivent pas être subtiles; elles sont faites pour des gens de médiocre « entendement; elles ne sont point un art de logique, mais la raison « simple d'un père de famille... Lorsque dans une loi les exceptions, « limitations, modifications, ne sont point nécessaires, il vaut beaucoup « mieux n'en point mettre, etc. »

« anteacta scilicet evolvenda et pensitanda antequam lex « feratur; sed optime procedit per hoc legum concordia in « futurum (1). »

— « Quod si leges aliæ super alias accumulatæ in tam vasta « excreverint volumina, aut tanta confusione laboraverint, ut « eas de integro retractare et in corpus sanum et habile redi- « gere ex usu sit, id ante omnia agito; atque opus ejusmodi « opus heroicum esto; atque auctores talis operis inter legisla- « tores et instauratores rite et merito enumerantor (2). »

De *novis Digestis legum* bis tractavit Baconus, in libro de Fontibus juris et in epistola ad regem Jacobum scripta (3).

In nostro *de Fontibus juris* titulo, quinque rebus digestum novum absolvi posse declarat : « Primo omittantur obsoleta, « quæ Justinianus antiquas fabulas vocat (Institut. Prooemium, « §. 3); deinde ex antinomiis recipiantur probatissimæ, abo- « leantur contrariæ; tertio homoio-nomiæ, sive leges quæ idem « sonant atque nil aliud sunt quam iterationes ejusdem rei, expungantur, atque una quæpiam ex iis, quæ maxime est « perfecta, retineatur vice omnium; quarto, si quæ legum nihil « determinent, sed quæstiones tantum proponant, easque re- « linquant indecisas, similiter facessant; postremo quæ ver- « bosæ inveniuntur et nimis prolixæ contrahantur magis in « arctum. » Si quæ autem nimis in arctum contractæ sunt, quum Baconus brevitatem nimiam non minus esse vitium quam *verbositatem* contendat, illæ extendendæ sunt.

Quoddam exemplar Bacono est; jus Romanum Justinianumque, veluti ducem, sequitur. Non igitur unum corpus legum

(1) De Font. juris, LIII et sqq.

(2) Ib. LIX et sqq.

(3) A proposition touching the compiling and amendment of the laws of England.

jubet esse, quod multo utilius, multo certius esse constat, verum in una parte leges pro jure communi receptas, in altera principum statuta seorsum digeri componique : « Id quod fecit « Trebonianus in Digesto et Codice. » Jus vero, etsi diversis ex fontibus ortum sit, nonne idem est, nonne eamdem obtinet auctoritatem, nonne easdem res regit? Quid est cur in duos libros dividatur? Nonne hinc et dubitationes et controversiæ surgere possunt, quæ utique, scriptis illis libris, dirimendæ fuerunt? Duas esse causas huic legum componendarum rationi reor, unam, ne labor nimius suscipiatur, alteram, Romani juris imitationem, neutram satis probandam.

Jubet quoque noster veterum legum librorumque verba retineri « licet per centones et portiones exiguas » excerpenda sint, quia priscis vocibus major insit auctoritas. Optime : attamen ne verba serventur omnino desueta cavendum est, legesque ante omnia intelligantur ab unoquoque necesse est, quum nullus sit qui non iis parere debeat. Justiniano igitur alius exprobret quod a Triboniano mutari verba passus sit : non ille, jus Romanum componendo, posteris, sed æqualibus suis consuluit, nec studio, sed ipsi hominum vitæ.

Præterea optat Baconus (1) « ut hujusmodi legum instauratio « illis temporibus suscipiatur quæ antiquioribus, quorum acta et « opera retractant, litteris et rerum cognitione præstiterint : « quod secus in opere Justiniani evenit. Infelix res namque est, « quum ex judicio et delectu ætatis minus prudentis et eruditæ « antiquorum opera mutilentur et recomponantur. Verum tamen « sæpe necessarium est, quod non optimum. » Hic Bacono om-

(1) Cf. The elements of the common law of England, preface : « More « excellent had the work (Pandectæ) been, save that the more ignorant « and obscure time had undertook to correct the more learned and flou- « rishing time. »

nino assentiar, nisi Justinianea tempora nimium vexare mihi videatur. Quibus sane litteras minus floruisse quam Augusti sæculo fateor, et prudentes Ulpiano, Paulo, Papiniano longe inferiores exstitisse, in jure vero, quum philosophia, tum præsertim Christiana religione adjuvante, multa iniqua correcta fuisse, multa turpia expurgata.

Omnia vero in usum trahit Baconus, nec ista de digestis præcepta dormire patitur; leges Anglicæ jam tunc fuerunt *rudis indigestaque moles*, quod ipse noster, quanquam eas ad sidera extollere, Britannico more, solitus, confitetur. Illas magnis dubitationibus et varietati opinionum subjectas esse, moras pati declarat, unde consequatur plurimas et diuturnas esse lites — armatos esse litigiosos homines, oppressos vero bonos — plus posse judicem qui, in dubiis casibus, majori libertate utatur — æquitatis (cancellarii) curias magis esse repletas, remedium obscurum dubiumque præbente lege dominia rerum in incerto manere. Quin et queritur prudentum facile latere ignorantiam, quandoquidem, ubi nullus esse doctus possit, nullus indoctus esse videatur (1).

Leges igitur et corrigendas et in unum corpus redigendas sæpe scripsit Verulamius. Exstant et epistola ad Regem missa, ad quam mox revertemur et alia (2) qua fere ad æmulandum

(1) A proposition to his Majesty. — Cf. Blackstone, t. II, c. 23 : « To say « the truth, the vast alteration which the doctrine of the real property « has undergone from the conquest to the present time, the infinite de- « terminations upon points that continually arise, and which have been « heaped one upon another for a course of seven centuries without any « order or method : and the multiplicity of acts of parliament which « have amended or sometimes only altered the common law : these causes « have made the study of our national jurisprudence a little perplexed « and intricate. »

(2) An offer to king James of a Digest to be made of the laws of England.

Mosen Jacobum incitat, et *Elementorum* communis legis præfatio, qua isti persuadere tentat ipsi consilium istud cordi esse. Quin quum Jacobus Angliam Scotiamque in unum regnum miscere et componere in animo habuit, tot epistolis scriptis, tot orationibus habitis, tanquam occasione arrepta, Baconus ante omnia utriusque regni leges juraque in corpus redigenda, ut inter se componerentur conjungerenturque, contendit (1). Munus istud ipse suscipiat volens, quum minime se in jure nihil profecisse fateatur, imo vel maximis sæculi prudentibus sese libentissime æquet (2).

Duas autem operis partes esse dicit, unam quod digeratur commune jus, alteram quod statuta. In priori, unum esse eibrum jubet *de antiquitatibus Juris*, corpus communis juris, et quosdam auxiliares libros : scilicet, *Institutiones*, quæ et lucide ordinentur et omnia comprehendant, ut uniuscujusque rei notionem aliquam contineant, tanquam ingentis monumenti exemplar, *de Regulis juris* tractatum, quem a se ipso scriptum esse regem docet Verulamius, et alium de *Verborum significationibus*. In posteriore delenda capita statutorum, quorum casus jam non sit, exempli gratia, quæ ad Longobardos, ad Judæos attineant, tollenda quæcumque dormiant inque desuetudinem abierint, mitigandum pœnarum rigorem multis in casibus, reducenda ad unam simplicem lucidamque legem omnia quæ in idem concurrant statuta (3).

(1) Certain articles or considerations touching the union of the kingdoms of England and Scotland. — A speech used by sir F. Bacon, by occasion of a motion concerning the union of laws.

(2) A proposition to his Majesty : « I do assure your Majesty, I am in « good hope that when sir Edw. Coke's Reports and my rules and deci- « sions shall come to posterity, then will be (whatsoever is now thought) « question who was the greater lawyer. »

(3) A proposition to his Majesty.

Multa a Justiniano mutuatum esse Baconum facile intelligitur, præsertim quod ad priorem partem attinet, nec ipse quantum ei debuerit celat, iisdem nominibus usus.

Adde quod Baconus existimaverit digestis legum condendis quam opportunissimum esse tempus, qui sæpe multis laudibus ætatem suam evexerit, quum pace, tum artibus litterisque florentissimam eam dixerit, Jacobum ipsum tali incepto favere sane arbitratus sit, Salomona alterum.

Nunc autem abjiciuntur Digesta et libri, qui nihil aliud quam leges diversis temporibus latas continent. Ex quo apud nos Codex legum scriptus est, jusque omnino novum est conditum, in quo multa sane vetera retenta sunt, ipsa vero recentiorem, ut ita dicam, vestem induere coacta, similes ubique aut scripti sunt aut reposcuntur Codices. Etenim nihil simplicius, nihil commodius esse potest. At leges omnes deleantur necesse est: novæ res faciendæ sunt; nil igitur mirum, si Baconus, quum Codicis talis cogitatio ei in mentem inciderit, digesta præposuerit. Hoc enim sibi objectum esse fingit, quod satius sit commune Angliæ jus ad legum modum reduci, statutorum more, et ordine componi : illud autem opus. ut diuturnum et periculosum, rejicit. Ipsis quoque digestis exprobrari posse fatetur quod hinc novæ res ingruant : respondet jus potius ordinari et explanari quam mutari et decemviros Romanos, sexviros Athenienses, Justinianum, Ludovicum XI, regem Galliæ, tanquam auctores, citat.

Insuper a rege petit Baconus ut deligantur aliquot graves sanique prudentes (1), qui digesta legum in futurum, prout poposcerit tempus, corrigant et in melius provehant jus. Supra de magistratu isto locuti sumus. Digesta et Codices non in æternum

(1) « With some honourable stipend. »

scribuntur : exemplo sit Codex noster civilium legum, quem et multæ gentes mirantur et quædam sibi assumpsere. Veniet tempus quo Codex alius ferendus erit : namque ne legibus post hunc latis obruatur erit cavendum, dirimendæ erunt quæ ex ipso coortæ erunt controversiæ, multa præterea corrigi reposcent mores. Non autem mutari Codices, nisi longis intervallis, debent; si per triennium aut quinquennium eos cum recentioribus legibus misceas, inde quanta perturbatio fiat incredibile est : idem minus digestis nocet.

— Arbitrio judicis quam paucissima relinquenda (1), non solum quia judex homo est, quum ab hominibus leges quoque ferantur, sed quia constantes esse normas oportet. In jure pœnarum, nulla est difficultas : nullum delictum puniendum esse, nisi ante pœna lata sit, quam istud admissum, nunc omnes confitentur. Aliter sive gratiæ, sive invidiæ locus est, non justitiæ. Multa tamen coguntur leges judici relinquere; non enim quicumque idem facinus admittunt ideo pariter nocentes esse debent, quumque in scelere, tum in pœna multi gradus sint necesse est.

In jure civili nonnulla sunt de quibus lex ipsa statuere cogitur : veluti præsumptiones quædam quæ nullius gentis lege omissæ sunt, longi temporis præscriptio, quæ recte patrona generis humani dicta est, et rei judicatæ inter easdem partes auctoritas. Sunt contra quæ hominis judicio relinquenda sint, quum jus factumque inter se mixta sint : sæpe enim licere oportet judici, præsumptionibus legis deficientibus, ex cognitis factis ad incognita per se ipsum procedere. In quibusdam rebus dubitari potest utrum legi statuendum sit an homini : scilicet legis est errare, quum non verum, sed veri similitudinem assequatur, nec possint omnes casus huic congruere : homo contra, si a

(1) De Fontibus juris, XLVI.

posteriori libere verum inquirere queat, certius in casu unoquoque illud invenire posse videtur. Attamen multi potiores esse legis quam hominis præsumptiones declarant (1), nec dubito quin eum iis consenserit Baconus. Lex enim et gratiam et invidiam excludit, quæ quoties hominum judicia perturbent neminem fallit : satis est præsumptiones, quas illa fert, plerumque cum vero convenire. Præterea omnium refert scire quid de quaque re judicandum sit, non sufficit suspicari quid judicari possit.

IX. AN LEGES QUÆDAM NON UTILITATIS CAUSA FERANTUR. — Utilitatem finem esse legum diximus : has autem iis inesse debere dignitates quod justæ præceptis, certæ intimatione sint. Inde fit ut sæpe ferantur leges quæ non ad utilitatem tendere videantur. Nam quum lex injusta aut incerta exstat, ea corrigenda, ea explananda est, et, quoniam nonnisi lege corrigi vel explanari potest, justitiæ causa vel dubitationis tollendæ gratia unice constituta lex nova esse censetur. Constituitur autem ut bona sit lex, ipsa in utilitatem composita, nec nova illa lex per se stare potest, quum ad aliam referatur, cum alia omnino immisceatur confundaturque.

X. QUÆ REGULÆ SINT DE ABROGANDO JURE. — Eædem de abrogando jure, quæ de condendo, obtinent regulæ.

(1) Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. XXIX, c. XVI.

CAPUT SECUNDUM.

Quis legem ferre debeat.

Hic in aliam civilis doctrinæ partem incidere cogimur : non enim de jure in Bacono scribi potest, omitti vero penes quem condendi, mutandi, abrogandi illius potestatem esse voluerit Baconus; hæc autem nihil aliud est quam plenum summumque imperium (1). Cujus igitur in civitate imperium esse debere censuerit noster quærendum, id est, formam reipublicæ quam præcipue commendaverit breviter exponendum.

I. QUÆ SINT PRÆCIPUÆ DE ORDINANDA CIVITATE PHILOSOPHORUM SENTENTIÆ. — Multum post Baconum disputatum est de optima civitate, nec tot tamque diversas philosophorum sententias, vel potius opiniones referre nobis in mente est. Duæ quidem ante omnes in honore fuere, quæ non modo in philosophia, sed et in historia valuere. Hinc enim divinitus esse civitates constitutas multi scripserunt, seu gentibus omnibus unam eamdemque reipublicæ formam datam, sive unicuique suam : pauca sufficiant exempla. Bossuetus (2) quidquam potius esse quam regnum negat, huc utrumque Testamentum tendere ut religione quadam colantur reges ratus : quid inde consequatur apparet, regiæ potestati, plusquam humanæ, nullos debere esse humanos fines : Deo enim, quanquam illius incommoda cognoverit, nihil obstitisse quin ea Saulem impertiret, nec magis judicum quam regum vitiis carere potestatem. Legem ille pro

(1) Fenelo. — *Essai philosophique sur le gouvernement civil,* c. VI. De la source de l'autorité souveraine.

(2) Politique tirée de l'Ecriture-Sainte, l. I, art. IV; l. III, art. II; l. IV, art. I; l. X, art. VI.

pacto existimat; pactum vero ab hominibus per principem fieri, ut minime consensu populi opus sit, sed sapientum consiliis tantummodo utatur princeps, confitetur.

Fenelo (1) potestatem a Deo oriri asseverat; non vero unum rivum esse, per quem ad homines perveniat, sed nunc paterno, nunc hereditario jure, nunc armis, nunc suffragiis declarari Dei voluntatem. Deus autem quid velit quærere licet, id est jus naturale : secundum quod nullus est homo qui homini subjectus esse debeat, omnes rationi parere decet, et plurimum posse optimos, sapientissimos, fortissimos : ubi vero quædam civitatis forma constituta sit maneatque, ea nullo modo immutanda est, neque potius popularis status in regalem quam regalis in popularem vertendus. Hoc præstat Bossueto Fenelo quod et plures formas naturali divinoque juri consentaneas esse agnoscit, et, rationem amplexus, perinde atque humanæ societatis reginam, fines quosdam supremæ potestati vult assignatos (2) ne illa a ratione deerret.

Illinc populo plenam potestatem competere dictum est, nec jam ulli parendum esse, nisi majori civium parti. Omitto quod pauci æquitatem cum placito miscuerint, et apud veteres (3), et apud recentiores (4), unde collectum sit ideo majoris partis imperium esse, quod penes eam sit major vis. Plerique, naturale jus amplexi, omnes homines natura pares inter se habendos contenderunt, nec ullam esse causam quare unus alteri pareret,

(1) *Essai philosophique,* c. II, VII, XVIII.

(2) Ib. c. XV.

(3) Istud docuisse fertur Archelaus, Socratis magister, justum ac turpe esse non natura, sed lege : Diog. Laert. lib. II, pars 16.

(4) Hobbes, *Leviath. et de Civitate* : « Regulas boni et mali, justi et injusti, honesti et inhonesti, esse leges civiles; ideoque quod legis lator præceperit, id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum esse. » De civ., c. XII.

nisi ex una aut altera parte major numerus suffragiorum staret : « Nullum enim esse aliud signum veritatis quam quod omnibus « acceptum esset, salva æquitate (1). » Libertatem illi ante omnia ponunt, neque fas esse censent populum ista libertate vel potius potestate sese ita abdicare, ut magistratus suos mutare nequeat; ne satis est quidem populos regesque inter se mutuis officiis teneri, quæ si reges violent, perinde atque rupta fide, eos mutari æquum sit, sed, quum a populo potestas omnis ad eos eat, populus jure suo eam ad se revocare potest, si forte id sui referre arbitratur (2). At enim qui obstari potest rerum mutationibus? Nullo modo, nec obstandum : nunquam non populo licet leges suas mutare, optimas quoque. Nam, si ei placet sibi ipsi nocere, cujus est eum prohibere?

Hinc igitur regis, illinc populi est suprema potestas, nec jam alterutri fines imponi fas est, si vere ut illi ex origine, ita huic ex numero jus quoddam divinum competere fatendum est. Jam, Baconi tempore, gliscere cœpta est de populari voluntate ratio ista, mutationibus Britanniæ in majus provecta est, a quibusdam scriptoribus ornata (3), postquam in Britannia diu manserat, tandem apud nos luculente exposita, et quasi philophi cujusdam nostri (4) quodammodo propria ac peculiaris facta, in vitam hominum et historiam transiit : ubi quot et quanta effecerit non nostrum est attingere.

Hodie quidem aliud in honore est apud philosophos. Legem utilitatis causa constitui diximus, æquitati vero congruam esse debere. Lex est ratio (5). Nullum igitur hominem, ne majorem

(1) Condorcet, *Tableau des Progrès de l'Esprit humain*, 9e époque.
(2) Ib. 8e époque.
(3) Althusius, Languet, Needham, Harrington, Locke.
(4) Rousseau.
(5) Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. I, c. 14 : « La loi en général est

quidem partem, imperare fas est, sed rationem. Ratio autem quid poscat, quid jubeat, et homini et populo non semper in promptu est discernere. Nemo est qui nunquam non errare possit, nunquam non peccare : nemini igitur suprema potestas permittenda est, quum ideo potestas exerceatur, ut quodcumque velit ratio et æquitas jubeatur atque sanciatur. Ita miscenda est atque temperanda reipublicæ forma ut quam plurimi rationem verumque inquirant : inde fit ut ne regibus liceat solis leges ferre, quippe quos sæpius ratio non fallere non possit, neque populo, quum nullus ad administrationem civitatis accedere et quid jubeat ratio quærere debeat, nisi qui tanto muneri par esse videatur : inde ut potius per legatos quam per se ipsam consulenti regi respondeat natio, attamen et ipsa possit rebus publicis immisceri, eas cognoscendo ac judicium de iis ferendo (1) : inde ut non sufficiat aliquem regem prudentissimorum virorum dictis audientem esse, nisi futuri quoque reges institutis cogi videantur ut semper in communem deliberationem veri et justi inquisitionem venire sinant (2). Jam nulla est reipublicæ forma, quæ magis faveat huic imperio, quo nullum magis esse naturæ consentaneum declarat Plato, legis homines volentes regentis (3).

II. QUID EADEM DE RE CENSUERIT BACONUS. — Baconum equidem haud reor in tanta doctrinæ civilis parte vere philosophicum studium impendisse, nec unde oriatur suprema potestas, ad quem veniat, num unius esse possit, unquam quæsiisse,

« la raison humaine en tant qu'elle gouverne tous les peuples de la « terre. »

(1) M. Guizot, *Histoire des Origines du Gouvernement représentatif*, 1 vol. VIa lectio et sqq.

(2) Matthiæ, *Manuale philosophiæ*, §. 164.

(3) Plat. de Leg. I.

Anglici vero regni formam satis Anglice, ut mihi videtur, singulari admiratione et amore prosecutum esse. Quod penes populum sita sit plena potestas ne contendi quidem putasset, nec minus, quam redarguendo de physiciis scientiis philosophos, respondisset : « Pessimum certe, filii, omnium augurium est de « consensu in rebus intellectualibus, exceptis divinis, quum « veritas descendit cœlitus. Nihil enim multis placet, nisi aut « imaginationem feriat ut superstitio; aut notiones vulgares, ut « doctrina sophistarum; tantumque consensus iste a vera et « solida auctoritate abest, ut etiam violentam præsumptionem « inducat in contrarium. Optime enim Græcus ille, quid peccavi? « quum complauderent (1). »

Potestatem in regibus a Deo constitutam esse libentius agnoscat; imo non desunt in hujus libris loci unde colligi possit eum cum Bossueto consentire : « Quod monarchiam commendas et « eam ceteris reipublicæ formis anteponis, non habeo quid res- « pondeam: illa est in scholis quæstio, sed tempore jampridem « sublata est, nil melius regno... Monarchia est quasi *naturæ* « *opus*, ad id factum ut duret crescatque (2). » Hic etiam utilitatem præcipue in mente videtur habere. Nec id tantum ut cancellarius jactat, sed jampridem asseruerat popularem statum ex lege quadam humana, monarchiam ex natura esse, tria autem esse monarchiæ genera, unam quæ ad patris, alteram quæ ad pastoris potestalem referatur, « tertiam autem nihil aliud « quam in terra Dei regnum esse, cujus legitima monarchia « umbra quædam et imago esse videatur. (3). » Unam quidem

(1) Redargutio philosophiarum, 24.

(2) His Lordship's speech in the parliament, being lord chancellor, to the speaker's excuse.

(3) The argument of sir F. Bacon in the case of the Postnati of Scotland.

civitatis formam divinæ naturæ participem facit : regem in terra quasi Deum mortalem poni, quicumque eum non in maximo honore habeat ac veneratione atheum fere esse declarat, utpote qui minime Deum timeat (1). Quod legibus regia potestas aut confirmetur aut temperetur nil refert, quum paterna quoque potestas legibus subjecta sit et nixa (2). Adde ita magnificas de illa, humiles de Parliamento ipsa in curia Parliamenti orationes habitas, ut respublicas omnino ex rege pendere velle noster videatur (3).

Non autem philosophice quid ferret ista res aut quærere aut probare molitus est Baconus. Imo, quanquam civilem doctrinam inter scientias collocavit, et imprimis commendavit, attamen ei parum cordi fuisse de suprema potestate philosophicas disputationes hoc probat, quod illas in scholis quæstiones esse declaret (4) : ipsi quid sentiret aperire satis fuit, nunquam senten-

(1) Essay on Kings.

(2) The argument of sir F. Bacon, etc.

(3) A speech in parliament upon the motion of subsidy, 39 of Elizabeth : « I dare not scan upon her majesty's actions, which it becometh « me rather to admire in silence than to gloss or discourse upon them, « though with never so good a meaning. » — A speech of the king's solicitor used unto the lords at a conference by commission from the commons, moving and persuading the lords to join with the commons in petition to the king, to obtain liberty to treat of a great composition with his Majesty for wards and tenures : « We mean not dispute with « his Majesty, what belongeth to sovereign honour at his princely « conscience, because we are not capable to discern them otherwise « than as man sometimes to see the image of the sun in a pail of water. » — Cf. the proceedings of the earl of Essex.

(4) Apophtegms, 251 : « When Vespasian passed from Jewry to take « upon him the Empire, he went by Alexandria where remained two « famous philosophers, Apollonius and Euphrates. The emperor heard « the discourse touching matter of state, in the presence of many, and « when he was weary of them, he broke off and in a secret division, « finding their discourses but speculative and not to be put in practice, « said : « O! that I might govern wise men and wise men govern me. »

tiam argumentis fulcire necesse visum est. Nil mirum : etenim quantum usui locum dederit omni in philosophia Verulamius constat; quanto majorem ista in parte, quæ vitæ hominum misceatur, tota in vita sit! « Artes imperii tria officia, ut ait, am- « plectuntur : primo, ut imperium conservetur, secundo, ut « beatum efficiatur et florens, tertio, ut amplificetur finesque « ejus longius proferantur (1). » Nil nisi artes imperii, quodcumque usui est doctrina civili comprehendi existimat : veterum exempla congesta vult, unde quid utile, quid inutile sit civitatibus facile appareat. Quod igitur ante oculos habet, tanquam usu comprobatum, pro optimo accipit. Nulla est alia causa cur divinitus esse constituta regna contendat : quod et aliquoties confessum erat Parliamentum et qui tunc fuerunt scriptores declarare soliti erant. Rex ipse Jacobus sese Dei vice (indigne, ut reor) in terra regnare asserebat, quod in Scotia quoque, inter tot difficultates, affirmare non dubitaverat (2), multo magis in Britannia, nullo contradicente, nunquam non paratus erat in medio ponere (3).

Si quid humilius est de Parliamento locutus, id quoque consuetudinis est, cui inviti parere solent homines, et ipse Baconus in rerum publicarum administratione parendum censuit. Quanquam enim, Jacobo regnante, cœptum est magis valere in regno Parliamentum, jampridem, utroque Henrico et Elizabetha regnantibus (2), pro nihilo habitum erat : tum evenit, rebus

(1) De Aug. sc. lib. VIII, c. 3.

(2) Βασιλικὸν δῶρον.

(3) Testes sunt ejus et conciones et epistolæ.

(2) Bacon's apophtegms, 250 : « Mr Popham, whin he was speaker, « and the house of commons had sat long, and done in effect nothing, « coming one day to queen Elizabeth, she said to him : Now, Mr Speaker, what has passed in the commons' house? He answered : If it « please your Majesty, seven weeks. »

mutatis, manere vocabula. Potestas enim regia, sensim imminuta, magnificum quem antea habuit sermonem retinuit, parliamentum humilem, ut jam re in partem rerum publicarum Parliamentum veniret, verbo nihil esset. Quod res verbaque inter se pugnaverint pœnituit Britannos, tot errores inde coorti sunt. Verba enim, tanquam rem, non modo Jacobus et æquales amplexi sunt, sed, pessimam patrimonii partem, Carolus II et Jacobus II servaverunt, hic magno cum detrimento suo!

III. QUEM PARLIAMENTO LOCUM ESSE VOLUERIT IN ANGLIÆ REBUS ADMINISTRANDIS. — Non autem possunt inter se res et verba semper pugnare : nec desunt loci ubi splendide laudet Parliamentum Baconus. Ei gratulatur quod rex in concione perfectam monarchiam non esse, nisi istud accedat, dixerit; quamvis enim veterrima sit monarchia et natura libera, firmiorem effici monitis et auxilio Parliamenti (1). Ipse Parliamentum ex Britannico regno tolli posse negat, quantaque illud afferat bona docet : « Tolle libertatem Parliamenti, intus æstuare subjecto« rum querelas oportet, ægros corruptosque humores jam non « libere effundi, quibus exulceratis, necesse fit ut periclitetur « et regia ipse potestas (2). » Ideo regiam potestatem libertatemque Parliamenti esse tanquam elementa ac principia reipublicæ declarat. Etenim hinc servis imperare res vilis videtur : « Impe« rium in belluas et pecora, quale bubulcorum aut opilionum, « res vilis : imperium in pueros, quale ludimagistrorum, minus « honorificum; imperium in mancipia potius dedecori est quam « honori; neque multo præstantius est imperium tyrannorum « in populum servilem atque animis et generosa indole exu-

(1) His Lordship's speech in the Parliament to the Speaker's excuse.
(2) A speech of the king's solicitor, etc.

« tum (1). » Non aliter Aristoteles : Τοῦ δεσποτικῶς ἄρχειν ἡ τῶν ἐλευθέρων ἀρχὴ καλλίων καὶ μᾶλλον μετ' ἀρετῆς (2).

Parliamentine esset publicis negotiis immisceri, de bello vel de pace decernere, tributa indicere, dubitavit Baconus, nec illo tempore satis constitit : nullas leges fieri, nisi per illud, voluit noster. Absurdum enim esse proclamat, si quis censeat regi permittendum esse leges mutare, quod, natali jure, subjectorum sit omni in parte Angliæ (3). Quæ in Parliamento tractanda sint enumerat : res ecclesiæ, publica negotia, leges, aut subjectorum querelæ (4). Nec modo de rogationibus regis a Parliamento statui poscit, sed illud agnoscit sponte sua deliberare posse : « Quanquam usitata res est in Parliamento nova remedia novis « malis quæri, in his tamen... Satis sunt nobis priscæ leges, « quas modo cupimus confirmari et sanciri.... (5) » Questis mercatoribus de Hispanorum injuriis apud Parliamentum, materiam esse belli pacisque declarat Baconus, quæ regi relinquenda sit, hoc autem modo ad Parliamentum pertinere, si quis novam legem reposcat (6). Imo licet Parliamento de lege contra quod-

(1) De Aug. sc. lib. I, in fin.

(2) Pol. VII, 12.

(3) « Which is the subjects birthright in any part of the realm of England. » The jurisdiction of the marches. — Cf. Fortescue, cap. XVIII : « Non emanant illa (statuta Anglorum) a principis solum voluntate, ut « Leges in Regnis quæ tantum regaliter gubernantur, ubi... Sed non sic « Angliæ statuta oriri possunt, dum nedum Principis voluntate, sed et « totius Regni assensu ipsa conduntur, quo populi læsuram illa efficere « nequeunt, vel non eorum commodum procurare. » Trecentos viros, non aliter atque in senatu Romano, deliberare jactat a quibus lex feratur, eadem, si prava sit, abrogetur.

(4) His Lordship's speech in the Parliament, to the speaker's excuse.

(5) A speech made by sir F. Bacon, knight, chosen by the commons to present a petition touching the purveyors.

(6) A report made by sir F. Bacon, in the house of commons, etc., concerning the petition of the merchants upon the Spanish grievances.

dam regis factum ferenda deliberare : « Facta enim regis quibus « gravantur subjecti aut contraria sunt legi ideoque vana, aut « legi consentanea, gravia tamen. Quum duo sint mala, duobus « utendum est remediis : facta quæ legem lædunt, judicio pro- « pone; quæ nimis dura et aspera sunt, quamvis legitima, Par- « liamento (1). »

Ita conditur jus ut populus, non minus quam rex ipse, nulli legi pareat nisi quæ ipsi placuerit. Per legatos, non per se ipsum sententiam fert, aut potius legati ferunt, non ille : equites enim civesque (2) in Parliamentum collecti pro populo sunt, sed, in multis rebus, quamvis delegantibus sese probare debeant, loquuntur tamen ex sententia sua (3). Jure quidem : etenim absurdum est quemquam delegari qui de rebus publicis deliberet, nisi libere suffragium laturus : jam eorum est qui populi esse plenam potestatem, quia populus sit, contendunt, asseverare nil aliud licere legatis dicere et ferre, præter quod delegantibus acceptum sit : melius dictum est legatos ideo mitti ut simul quid ferat jubeatque ratio quærant, eosque eligi qui ad id quærendum aptissimi sint : sin minus, quem non posse delegari, quum nihil faciendum sit nisi voluntas urbis vicive cujusdam legatis alius urbis vicique aperienda (4)?

Nec tamen unice quid velit Parliamentum est quærendum, sed et populi habenda ratio est : « Quoad populum, soleo spec- « tare non minus ultra Parliamentum quam ipsum ad Parlia- « mentum (5). » Etenim quanquam penes legatos potestas est,

(1) An argument of sir F. Bacon proving the king's right of impositions on merchandises imported and exported.

(2) « The knights, citizens and burgesses. »

(3) A speech etc., touching the purveyors.

(4) M. Guizot, *loc. cit.*

(5) A speech delivered by the king's attorney in the lower house, when the house was in great heat and much troubled upon undertakers.

quam gravis et periculosa sit inter illos populumque dissensio haud ægre intelligitur. Quid ratio velle videatur paucorum est decernere, omnium quærere, nec intra muros senatuum potest includi aut verum aut veri inquisitio (1). Adde quod exacerberare animos populi valde periculosum sit, nec sine magno discrimine ipsi rationi jubeatur et cogatur ille invitus parere.

Nemo nescit in Anglia diutissime vicis quibusdam, quos recte *putridos* dixere, jus fuisse mittendorum ad Parliamentum legatorum; quod et voluntates hominum non satis perspicue apparere, et ratio quid vellet male quæri, et nimium gratiæ locum relinqui causæ fuit. Tantum vitium primus increpuit Baconus, nec ipso in Parliamento dubitavit queri, quod multi pro desolatis atque dirutis vicis hic sederent (2).

Hoc minus probo quod noster a rege voluerit augeri posse legatorum numerum (3); hinc enim eos mittendos rectissime docet scriptor gallicus (4), ubi jam cives sint ita instructi ornatique, ut quid sit veritatem ac rationem quærere intelligant, quæque res ad illam inquirendam præsto debeant esse non ignorent, illorum autem numerus talis sit ut non omnino ex gratia vel invidia pendeat quis delegetur. Quod ita se habeat vicus quidam regi sane potest apparere, non aliter atque ipse potest per se quid ratio poscat invenire : nulli vero hunc in modum confidendum est ut unus tali de re statuat; nec, ut reor, abstinere queat rex quin suffragia addat, si quid commodi ad consilia quædam exsequenda inde ad se redundare posse arbitretur.

(1) M. Guizot, *loc. cit.*

(2) « For desolate and decayed boroughs. » A speech, etc., concerming the articles of the general naturalization of the Scotish nation.

(3) A procuration towards the union of the laws of England and Scotland.

(4) M. Guizot, *loc. cit.*

Multa præterea præcepit vel animadvertit Baconus quæ nonnisi cum libero ac legitimo illo regno convenire videntur. Prudentiam in oratione magis valere quam eloquentiam (1) nusquam verius est quam in Parliamento, in quo non minus artibus quam lingua pollere solent publici viri. Nonne hæc sunt hominis in factionibus versati verba : « Cuivis patet consuescere homines « eos qui suarum partium sunt immodicis effere laudibus; qui « autem contrariarum sunt, infra meritum deprimere (2). » — « Solent homines post se et factionem suam in eos inclinare et « propendere qui reliquorum maxime sint enerves et imbelles, « quique eis minimum molestiæ exhibuerunt (3). » In *Sermonibus fidelibus*, nullam rem tangit, quin quid in hac cum republica conjunctum sit consideret, sive amicitiam et clientelam (4), sive invidiam. Præsertim notandus est sermo *de Factionibus* (5), in quo optime apparet quis fuerit eo tempore Anglici regni status; nondum huc adductæ res ut duæ essent magnæ factiones (6) ad quas publici omnes viri accederent necesse esset : Baconus contra potentissimum quemque supra factiones stare jubet; intelligit tamen atque docet quo pacto coalescant in unum dissolvanturve factiones, quid in *oppositione* valeat, quid in defensione.

IV. QUID DE CETERIS REGNI PARTIBUS REGENDIS CENSUERIT BACONUS. — Illud ad Angliam : quid de ceteris partibus regni?

Scilicet distinguendum qui ad Angliam accesserint, armisne comparatæ, an jure gentium cum illa conjunctæ sint.

Scotia quidem jure naturali civilique cum Anglia conjuncta

(1) A collection of sentences, 50.

(2) De Aug. sc. VII, 3.

(3) Ibid.

(4) XLVI.

(5) XLIX. — Cf. the colours of good and evil.

(6) Vocem in meliorem sensum quam de more hic accipit Baconus; idem sonare quam *partes* ea videtur.

est, uno eodemque rege utramque regionem habente, quod evenit, morte Elizabethæ, nullum ei propiorem heredem esse quam Jacobum. Ideo Jacobus festinavit utrumque regnum, nisi re, certe nomine confundere, Angliæque et Scotiæ, quantum in se fuit, delere nomina, Britanniæ vocabulum servare. Inde leges quoque in unum conjungere molitus est, auxiliante Bacono, at frustra. Hinc et Jacobi tempore et Annæ reginæ animadvertendum est maximam coortam esse difficultatem quod in utraque regione esset Parliamentum, nec alterutrum tolli liceret, ut alteri leges ferendæ essent, quæ utramque gentem obligarent. Quod si utrumque in unum confundere decretum sit, quatuor res in medio ponendas esse dicit Baconus, primo, quæ proportio esse debeat suffragiis Anglorum Scotorumque, secundo utrum unicuique legato liceat legem quamdam per se rogare, sicuti mos in Anglico Parliamento sit, an, ut in Scotico, per quosdam ad id præpositos (1), quorum unum libertati, alterum gravitati magis faveat, tertio, quibus ex elementis fiat Parliamentum, quarto qui pacto his qui honores hereditarios aut officia in utroque Parliamento habeant satisfieri possit (2). Quæ quum ita sint, sane Scoticæ quoque genti jus concessum est, quod Anglicæ competit, legibus ferendis partis habendæ, nec ad adstringendam eam seu in Anglico Parliamento, seu regia in potestate, satis auctoritatis fuisse patet.

Hiberniæ vero et Cambriæ, quæ vi adjunctæ erant Anglico regno, eodem jure frui non permissum est : « Legibus Angliæ, « inquit noster, nulla regio, quia Anglicis armis comparatur, « subdita est, sed primæ in hac remanent leges, donec ipse rex « alias vigere aut rescripto aut mandato declaret, et ille potest

(1) « Lords of the articles. »

(2) Certain articles or considerations touching the union of the kingdoms of England and Scotland.

« leges constituere, legibus Anglicis contrarias. Quod multis « exemplis probatur, et inde consequitur Hiberniam non eo « quod armis comparata sit, sed ex charta regis Joannis legibus « Anglicis subjectam esse (1). » Nec aliter de Cambriæ finibus scribit, quum in statuto quodam regi datam esse potestatem faciendarum mutandarumque legum hac in parte regni refert (2). Parum cum se ipso noster constare videtur, qui Anglis Scotisque Parliamenta concedit, unicam regis esse potestatem in Hibernia Cambriaque patitur : neque objiciatur, ubi gens quædam armis dometur, necesse esse unica sit potestas apud eam; non enim semper eadem necessitas manere potest, sed optime animadvertit gallicus philosophus nullam servitatem æternam esse debere (3). Subditis gentibus eadem sunt natura, eadem ex legibus competere docet jura, quæ victori populo.

Forsan aliquis miretur ne Anglicum quidem Parliamentum in partem supremæ istius potestatis vocatum, ut leges non modo in Anglia, sed omnibus in partibus Anglici regni per illud fierent. Quid vero? nonne Baconus jus quoddam natale Anglis esse dixit? Scilicet quæ sint jura in Anglia operæ pretium est considerare : hæc nihil aliud esse quam regalia quædam privilegia in subjecto scriptum est duodevicesimo sœculo (4). Hæc per-

(1) The argument of sir F. Bacon in the case of the Post nati of Scotland.

(2) The jurisdiction of the marches.

(3) Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. x, c. iii.

(4) Blackstone, t. ii, c. iii. — Cf. c. iv, ubi scripsit idem : « Liberties of « Englishmen are not (as some arbitrary writers would represent them) « mere infringements of the king's prerogative, extorted from our « princes by taking advantage of their weakness, but a restoration « of that ancient constitution of which our ancestors had been defrauded « by the act and finesse of Norman lawyers, rather than deprived by the « force of the Norman arms. » Nil refert unde libertatem juraque Anglorum procedere ille censeat, quum ab historia, non a ratione eorum originem trahi doceat.

sonæ inhærent, una cum ea nascuntur, nec alii cuidam, nisi a rege, communicari queunt. Gens victa regni, non Angliæ pars habenda est, quumque nullo regali privilegio donata sit, necesse est omnino ex rege pendeat. Multi quidem notant Anglis bona, quibus fruantur, sordere, nisi ipsorum sint propria atque peculiaria (1).

V. CUJUS SIT LEGES MUTARE. — Cujus est leges ferre, ejusdem est eas et mutare et corrigere. Quin et huic confirmanda esse nova digesta legum censet noster (2), quamvis leges tantum colligi et ad unum corpus redigi, non mutari videantur : « Novum autem hujusmodi corpus legum ab iis qui in politiis « singulis habent potestatem legislatoriam prorsus confirman- « dum est, ne forte, prætextu veteres leges digerendi, leges « novæ imponantur occulto. »

(1) H. Rigault, Conversations morales et littéraires. Des Etrennes.
(2) De Font. juris, LXIII.

CAPUT TERTIUM.

Quis legi subjectus esse debeat.

Civitates sunt societates jure constitutæ : sublato jure, ipsæ quoque tollantur necesse est : jure, quasi arctissimo vinculo, continetur quidquid in his est : quod si quis ab illo sese liberum velit, nullo modo in his potest vivere. Leges, utpote quæ æquitati consentaneæ esse debeant, lædi prætermittive iniquum est; utpote quæ utilitati omnium consulant, inutile civitati : adde quod injustissimum sit aliquem jure solutum esse, ceteros erga eumdem teneri. Hoc igitur ponatur primo homines omnes legibus esse subjectos, unde consequitur neminem esse, ne regem quidem, qui supra eas positus sit, neque ullam legem, nisi omnium causa, ferendam, deinde neminem præter alicujus civitatis cives ejusdem legibus adstrictum esse.

I. NEMINEM LEGIBUS SOLUTUM ESSE DEBERE. — Non insulse quidem dixit Aristoteles ubi non leges imperent non esse civitatem (1). Ubi aliquis lege communi non ipse tenetur et omnia facere arbitrio suo potest, imperet necesse est, quum, si contra leges vivat, neque penes eum plena potestas sita sit, e medio sit tollendus.

Nulli extra legem vivere fas est; supra eam standum, nisi ei subjectus sis. Nec defuere qui regem humanis legibus majorem esse contenderent, ipsius Baconi tempore (2), nec absurdum, si divinitus constitutos esse reges credendum. Quibuscum potestatem suam communicaverit Deus eos institutis legibusque

(1) Pol. lib. IV, cap. IV.

(2) Hume, c. XXVII, aliquot testimonia refert (Winwood, Raleigh, Coke, Spencer), scriptores omnes tunc in idem consensisse probaturus.

hominum subjectos esse mirum sit : utrumque inter se cohærere patet et semper Anglicis sacerdotibus tunc in ore fuit (1) : Parliamento vero displicuit, quo petente, tolli jussit Jacobus librum quemdam, in quo scriptum erat legibus nullis subditam esse regiam potestatem (2).

Baconus vero, quamvis ipse divino ex fonte ortam esse regiam potestatem professus sit, nunquam eo adductus est ut eamdem supra leges esse confiteretur : imo eam nihil aliud esse quam legis partem dixit, nec a lege separari posse, sed ita cum ea conjunctam esse ut si quis unam curet, alteram non possit non curare (3). Scilicet duplex est munus legis, quod ad regem attinet : hinc enim ipsum indicat creatque, definitque ejus titulum, exempli gratia, femininam prolem a regno arcendo : illinc, quod in felicissimis Jacobi temporibus mentione indignum esse nostro visum est, regis ipsam potestatem determinat; cujus quanquam persona est soluta legibus, quod agit tamen legibus finitum esse quotidie apparet. Quid sit autem legibus finitum esse quod agit rex Baconus ipse alias explanat, de officio ministri regis scribendo ad ministrum (4), indignum quidem qui a tali et tali de re doceretur : regula justitiæ sit lex regni, et quasi omnipotens arbiter quum inter Regem subjectosque, tum subjectis inter se. Nihil intentius suadet quam ne qua tyrannica potestas in regnum introducatur, populo enim Anglico jura sua cordi esse, et omnibus in mentibus scriptam esse baronum vocem illam : « Nolumus leges Angliæ mutari. » Ideo, querenti

(1) Mallet, life of Bacon : « They (the Ecclesiastics) in return found out « for him (James) a title antecedent and superior to human laws, even a « divine right of being weak or wicked, without controul. »

(2) Lingard, t. IX, c. 11.

(3) The Lord Keeper's speech in the Exchequer to sir John Durham, etc.

(4) *Buckingham.*

bus civibus quod injuria a rege læsi sint, viam apertam significat : quod rex injuria facit, judicio abrogandum esse (1).

Nec solus noster reges a Deo quidem constitutos, humanis vero legibus parere debere existimavit.

Bossuetus ipse reges, non minus quam ceteros homines, æquitati legum subjectos vult, quia et justi esse et exemplum justitiæ vulgo præbere debent (2). Fenelo vetat regem aliquid ex subjectis rapere, nec modo legum scriptarum, sed æquitatis naturalis mentionem facit, quæ, si quid utilitatis publicæ causa privatis sublatum fuerit, non aliter pretium solvi atque si a privato fuerit emptum poscat (3) : de quibus inter regem privatumque conveniatur, iisdem conditionibus standum quibus inter privatos.

Optime : quid vero possit lex, nisi sanctione muniatur, satis patet. Quæ sanctio adversus reges est adhibenda ? Hinc nullam ferri patitur Bossuetus (4) : a metu pœnarum illos eximit, quos dirigere debeat lex, non cogere queat. Nec aliter Fenelo, qui tamen minus regibus tribuere solet, sed hoc fatetur scripturis sanctis probari, quod, si quis rex potestate sua abutatur, nullum alium judicem habeat præter Deum (5). Illinc philosophi quibus penes populum sitam esse summam rerum persuasum est, mutandos reges, non minus quam ceteros magistratus, arbitrio populi scripsere (6), nedum eos puniri posse negarent : quorum quem exitum habuerint præcepta nemo nescit.

A Bacono personam regis solutam esse legibus dictum supra

(1) An argument of sir F. Bacon... proving the king's right, etc.

(2) Politique tirée, etc., l. IV, art. 1, 4e prop.

(3) Examen de conscience sur les devoirs de la royauté, art. 3. — De la justice qui doit présider à tous les actes du gouvernement.

(4) *Loc. cit.*

(5) Essai philosophique sur le gouvernement civil, c. XXVII.

(6) Condorcet, *loc. cit.*

memoravimus. Quin coronam a persona regis distingui sinit, separari vetat, ne inde colligatur deponi posse regem (1). Omnibus nostris in chartis regis personam inviolatam esse atque sacram scriptum est: jure quidem, non sane quia nefas cinctas a Deo frontes diademate exuere, Deumque ipsum, violatis ejus imaginibus, lædere, sed quia plurimum rerum publicarum interest non semper in incerto esse supremam auctoritatem et quasi fluctuare, nullus autem esse queat seditionum mutationumque modus, si populo de rege pœnas, justas quoque, sumere liceat: quid plura? leges utilitatis publicæ causa et constitui et sanctione muniri constat : quod ad reges attinet, illis sanctionem deesse eadem utilitas reposcit.

Attamen regibus cavendum ne nimio legum contemptu populum adducant ad desperationem. Non enim semper scripta iis præsidio fuisse plurima testantur exempla. Sæpe turbæ fiunt seditionesque, unde quamvis jus absit, non omnibus iniquæ esse videntur. Nec hominibus satis esse potest quod mortui duriores pœnas pendere cogantur pravi reges (2), nec bonis corporibusque suis et suorum consulere semper prohibendi sunt. Calcante leges rege, ubi per jus nihil proficitur, difficillime deterretur populus quin vi et manu sibi satisfaciat provideatque, læsa potius forma justitiæ quam ipsa æquitate. Esse enim alias æquas, alias iniquas rerum mutationes nulli dubium reor. Tutiores autem reges sese præstant, qui legibus auxiliantur, auxilium ab iisdem rogaturi. Recte quidem eos docet Macchiavellus ipsos tunc regno exui, quum jura violare cœperunt, majorum mores contemnere, instituta prisca tollere (3).

Optime distinguit Baconus acta personamque regis; hoc præ-

(1) The argument of sir F. Bacon in the case of the Postnati.
(2) Bossuet, Polit. IV, 1.
(3) De Livio, l. III, c. V.

cipue cavet ne sanctione lex destituatur, ne facilius regnum immutetur. Quum enim nihil agere regi liceat, quod ad res publicas spectet, nisi per quosdam ministros, illi sane, si quid contra leges aut animum populi egerint, jam aut in ordinem redigi aut etiam puniri queunt; legibus soluta est tantummodo vita regis privata, minimo cum reipublicæ incommodo.

II. NULLUM PRIVILEGIUM ESSE DEBERE. — Lex nulla in privos homines ant privorum hominum gratia ferenda est.

Non enim frustra *æquum, æquitas* idem sonare videntur cum *justo, justitia, iniquum* autem cum *injusto*. Optime filium suum hortatur Jacobus I (1) ne Parliamento, cui tantum sit pondus, tanta majestas, ullius privati causa abutatur : ideo illud conditum ut publico commodo consulat, non privatis commodis. Nec ab illo dissentit ipse Baconus, qui monopolia institui vetat (2), communis utilitatis specie; est enim monopolium lex privata in commercio. Illum quidem parum sibi constitisse desiderandum est, quumque ei parum probata essent monopolia, quibusdam tamen signum regale apposuisse : usque adeo valuit apud eum gratia!

Multo minus fas est in privos homines ferri legem, quod rectissime prohibuit Tullius (3). « Id est enim privilegium, quo quid « injustius, quum legis hæc vis sit, ut sit scitum et jussum in « omnes. » Privilegia ista tamen et apud Græcos et apud Britannos in morem venere. Quid enim ostracismus fuit, nisi lege aliqua pœnam in aliquem, innocentem quidem nec ullius delicti a lege castigati reum, sanciri? Hoc declarat Aristoteles quum tyrannorum tum liberarum civitatum interesse, justam

(1) Βασιλικὸν Δῶρον, Sda pars.
(2) Letter to sir G. Villiers, VI.
(3) De Leg. III, 19.

que esse ostracismi rationem : melius quidem a legum latore ita constitui rempublicam ne tali remedio ei opus sit : deinde, si quid accidat, istum in modum corrigendum esse (1). Nec aliter insignis noster philosophus : « In quibus civitatibus maximi « facit libertatem populus, legibus quibusdam violatur unius, ut « omnium confirmetur, libertas. » Angliam, Romamque et Athenas memorat, et inde : « Confiteor gentium quibus nullæ « unquam fuere liberiores usu mihi esse hoc persuasum quod « in quibusdam casibus velanda sit libertas, non secus atque « tegi solent deorum immortalium simulacra (2). » Quin ostracismo ei videtur popularium morum humanitas comprobari, quum a recentioribus injuria exsilium pro pæna haberi soleat (3).

Neminem sane fallit quantum æquitatem ac rationem privilegia lædant, per quæ innocens vir non modo exsilio afficiatur, quam gravissimam pœnam esse omnes confitentur, sed et capite plecti possit, sublato juris communis, si quid in eo sit, præsidio. Refertur alios ad Parliamentum adductos fuisse, quoniam aberat a legibus pæna, quæ in eos irrogari posset, alios, quoniam, servatis tribunalibus et agendi ratione communi, non fugere non poterant. Nihil aliud lex quam *retrospicere* videtur, quod quam caute fugiendum censuerit Baconus supra memoravimus.

Defenditur autem utilitas publica, quæ unum salutis omnium causa perdi reposcit. Nullam legem bonam esse diximus, nisi cum æquitate congruat, etiamsi civitati profutura esse videatur. At ne ista quidem defensio satis valet. Quid enim ? hoc libertatem confirmari putas, o Aristoteles, quod e civitate exsulare cogantur quicumque in tantum creverint ut illam imminuere

(1) Pol. lib. III, c. 7.
(2) Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. XII, c. 19.
(3) Ib., l. XXVI, c. 20.

queant. At qui ita pollent ut civium libertati periculum faciant, nonne eosdem ita pollere ut in civitate remaneant, nec nisi libentes exsulent confitendum est? Quod si legibus imperari sibi exsilium patiantur, non magnum ab iis reipublicæ infertur discrimen, veneratione tanta patriæ leges institutaque amplectentibus. Ad populum veniamus, penes quem situs fuit ostracismus: qui quem exsilio mulctaturus sit haud ægre intelligitur: scilicet eos, quorum ipsum tædeat, sive optimatium partibus sese addixerint, sive ipsius, sed in honore esse apud ipsum desierint: utrosque autem minime reipublicæ nocere posse confitearis necesse est; hos vero periculosos, qui populo ita sint accepti ut nihil non per eum facere queant (plerosque enim tyrannos ex popularibus factos esse ipse dixisti), quos, ut reor, exsulare nunquam ille jusserit.

Præterea nihil excogitari potest quod majorem omnibus incutiat timorem; num quis enim tutus esse potest, quum leges omnes servare parum tutum sit, sed, sub falsa utilitatis publicæ specie, inusitata et incognita quadam pœna vel levissima facta queant affici? Hic est legum finis ut publicæ consulant utilitati: huc privilegia, falsæ leges, tendunt, ut populo quam maxime officiant; bona enim et libertatem et vitam in incerto esse cogunt. Quid prodest leges esse certas, ne obscuritate verborum capiantur subjecti? quid fere nihil arbitrio judicis permitti, ne plus homines quam leges in civitate valeant? Melius sane quam Aristoteles, Macchiavellus dixit : « In republica bene cons-« tituta, nihil accidere debet, quod aliquid extraordinarii « reposcat : extraordinaria enim quanquam in tempus viden-« tur prodesse, exemplo tamen civitati vere nocent (1). »

III. LEGIBUS CIVITATIS NONNISI CIVES EJUS TENERI. — Quid de gentibus, vi sublatis, fiat supra diximus, in quibus ne Anglici

(1) De Livio, l. I, c. 34.

quidem parliamenti valet auctoritas, ne Angliçæ quidem vigent leges, quandoquidem non in partem Angliæ venisse videntur, sed omnino a Rege pendent.

Nec legibus Anglicis utitur regnum, non armis domitum, sed jure Angliæ adjunctum, potius quam cum eo junctum, scilicet Scotia (1).

Scotiæ sua instituta, suum Parliamentum, suum jus manent; nec iis derogare licet regi : « Quoties, ait noster, legitimus est « in quadam regione rex, leges mutare nequit, ab iis creatus (2), » Aquitaniamque memorat, cui leges suas mansisse quoque refert; nec regi, si expulsus sit, vi autem recuperet regnum, minus legitimam esse potestatem scribit, quum sua quisque aut armis aut jure queat recipere.

Hoc semper Jacobo cordi fuit ut Angliam Scotiamque non modo nomine, sed etiam re conjungeret, unumque Parliamentum, unam legem faceret (3). Magnum sane consilium, dignumque quod statim omnes amplecterentur, non in centum annos differri paterentur! Huic obstiterunt quum recentiorum inimicitiarum memoria, tum diversa inter se studia commodaque tot virorum : Baconus vero adhæsit, neque unquam id aut argumentis fulcire aut laudibus exornare, sive ad Regem scribendo, sive in Parliamento orando, sive coram judice loquendo, desiit (4). Principio jus publicum conjungi, non privatum, Baconus suadet : consilium Jacobi probat et utile justumque declarat, dividi vero

(1) To Robert Cecil.

(2) The argument in the case of the Postnati.

(3) Bacon. Letter LXXIII to the earl of Northumberland : « He hasteneth « to a mixture of both kingdoms farther perhaps than policy will well bear. »

(4) A brief discourse of the happy union of the kingdoms of England and Scotland. — Certain articles or considerations touching the union of the kingdoms of England and Scotland. — A speech in the honourable house of commons, concerning the articles of the general naturalization of the Scotish nation. — The argument in the case of the Postnati, etc., etc.

jus in publicum privatumque animadvertit, unum quod ad dominium, alterum quod ad gubernandam rempublicam attinet : « Quod autem ad meum tuumque et privata commoda spectat, « non hac tempestate conjungendum censeo : sua enim tenere « amant homines non aliter atque tenuere, nec privatæ legis di- « versitas regna sejuncta esse indicat : namque in uno et eodem « regno diversæ solent esse consuetudines quoad dominium et « privata jura (1). » Quid vero? Hoc ipsum ante omnia poposcit parliamentum, ut Anglorum legibus uti vellent Scoti : quod hi indignum sese esse dixerunt, nullam gentem alienis legibus jurique subditam esse nisi quæ armis domita esset (2). Baconus nunquam talibus conditionibus standum esse censuit, sed, quum, nisi jus privatum quoque mixtum esset, utrumque regnum nullo modo posse conjungi videretur, saltem æquam esse conjunctionem voluit, utriusque populi legibus in Digesta ante compositis (3). « Difficillima est perfecta legum conjunctio, colligendæ « enim sunt et conjungendæ. Primo colligendæ sunt prudentibus « utriusque gentis, faciendumque digestum, quo comprehen- « dantur quum consuetudines et si qua pars singularibus utatur « legibus, tum lex communis et statuta, ut ista omnia inter se « conferri et comparari queant, diversitatesque clarissime appa- « reant. Quod eadem conjungenda sint multam habet difficul- « tatem, usu enim probatur patrium morem omnibus hominibus « cordi esse (4). »

Non semel coloniis consuluit Baconus, quæ jam Elizabethæ tempore non parvæ nec paucæ deduci cœptæ erant. Quibus autem legibus eas uti præcepit noster? Scriptor gallicus Britanniæ

(1) A preparation toward the union.

(2) Sir W. Scott., story of Scotland. Series secunda, c. III.

(3) A speech used by sir F. Bacon by occasion of a motion concerning the union of laws.

(4) Certain articles, etc.

gratulatus est quod pari esse jure colonias suas cum se ipsa, quamque habuerit reipublicæ gubernandæ formam apud eas obtinere voluerit (1). Sane ille in animo habuit Americæ colonias, quæ, tot difficultatibus rerum civilium in Britannia coortis, ullo sine auxilio regni conditæ, libertatem pristinam juraque retinuerunt. Jacobi vero tempore, præter Hiberniam quæ vix colonia vocari potest, cuique jura quædam ex charta Joannis regis competebant, nulla fuit quæ rerum suarum administrationi partem haberet. Baconus, quamvis per mercatores libere condi coloniam malit quam per regem creari, « regimen coloniæ « committi uni, cui tamen assideant consiliarii aliquot atque « eos muniri auctoritate, ad exemplum juris militaris, sed « aliquantum restricta » poscit (2).

Illa ad publicum jus : quoad privatum, inter colonos legis communis Anglicæ vim esse vult (3), recte quidem : non enim cives esse desinunt qui ex muris patriæ egrediuntur, ut illius nomen ultra maria propagent, commercio pariter gloriæque illius faventes.

(1) Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. xxx, c., 27.

(2) Sermones fideles, xxxiii, de Plantationibus populorum atque coloniis.

(3) Letter to sir G. Villiers.

CAPUT QUARTUM.

De jure gentium.

Jus gentium, Romana vox, in recentiorem sensum accepta, est jus quo omnes inter se continentur nationes, non tantum, ut apud Romanos, privati ex nationibus diversis orti. Huic in libro nostro suus locus esse debet. Neque ei est eadem vis, quæ juri civili; non a superiore quadam potestate proficiscitur, legibus includitur, pœnis sancitur. Fere totum in æquitate positum est; nec pridem in regum consiliis, tanquam in Europæ totius parliamento, agitari cœpta sunt et pro legibus poni præcepta aliquot. Non parvam huic operam dedit Baconus, nec, ut mihi videtur, philosopho indignam.

I. Quod sit pacis jus. — Nationes aut in pace sunt aut bellum gerunt. Utrum potius sit non ambigitur : optime dixit Herodotus : Οὐδεὶς οὕτω ἀνόητός ἐστι ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται · ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσι, ἐν δὲ τῷ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας (1). Utrum magis conveniat cum natura hominum quondam disputatum est; nec ipsa in Britannia defuere qui hominem homini lupum dicerent. Quibus fatendum est argumento fuisse tot exempla et apud veteres et apud recentiores. Baconus, quanquam solet exempla maximo in honore habere, rectius ad pacem natos esse mortales contendit : « Nunquam non censui, ait, bella « morbos malaque, pacem veram, naturalem, sanamque rerum « publicarum conditionem esse... si quis princeps, si qua « civitas aut bonam commodæ gloriosæque pacis occasionem « omittat, aut injustum bellum ulla sine causa moveat, eum

(1) Hist. I. 87.

« contra justitiam et contra rationem facere (1). » Quin, scribenti inter religiosa bella, aut vix composita, aut mox imminentia, non omnino desperat ubique arma silere posse et pacem exerceri. Inclinare enim ad pacem ætatis suæ mores ad Jacobum scribit (2), inque oratione ad usum ejus inutiliter composita, regem facit sibi gratulari quod, utroque regno conjuncto, jam æquissime omni Europa in regna distributa, fundata sit universorum christianorum regum pax, nec alia de re inter se certaturi sint quam quis feiciores suos efficiat (3).

Nec ipse belli laudator (4) bellum cum natura hominis congruere ratus est : imo illud a natura ita abhorrere visum est, ut nullo modo fieri posset, nisi jubente Deo. Quum vero bellum nihil aliud quam perpetuum quoddam miraculum sit, æternam pacem ubique componi posse negat, ne in una quidem orbis parte, ne in illa quidem quæ civili cultu, æquis legibus, religione Christiana fruatur.

Bellum omnino, si qua fieri possit, exstirpandum esse nemo infitiatur : quam autem difficile sit illud, non dicam exstirpari, sed paulisper in magnam quadam orbis terrarum parte componi fatentur omnes, nec Dei quoddam fingatur miraculum necesse est : nonne insunt humanis mentibus, unde nunquam erui queant, tot vitia, tot cupiditates, quibus nulla frequentior sit bellorum causa? Ita vero ad pacem nati sumus, tanto eam amore amplectimur, ut, si forte ea aliquantisper fruamur, jam semper eam esse mansuram libenter existimemus. Bellis autem ingruentibus, fugit spes omnis æternæ pacis, iisdem desinentibus, reditura.

(1) An apology of the earl of Essex.

(2) Certain considerations touching the plantation in Ireland.

(3) A proclamation drawn for his Majesty, first coming in (prepared, not used).

(4) J. de Maistre, *Soirées de Saint-Pétersbourg*, 7e entretien.

Quo autem jure inter se utantur nationes, dum pacem agitant, quærendum est. Nunc ea lex esse videtur ut sese invicem adjuvent (1); diu ea fuit ut sibi invicem nocerent. Non Baconus eo venit ut mutuo adjumento levandas esse eas scriberet, non jam sinit mutua simultate eas lædi, neque, ut ita dicam, bellum geri, prætexta pace. Hoc libens præcepturus fuisse mihi videtur, ne quæque natio alteri noceat.

Nullas igitur colonias deduci patitur, nisi eo ubi nullius Christiani populi condita sit colonia (2). Qui enim non Christianus est, eum extra jus gentium esse censet noster.

Rebelles adjuvari vetat : vix Bohemicum bellum, quia non hereditario jure Bohemiæ transfertur regnum, satis justum esse ducit, nec tamen omnino probat. Non aliter Jacobus I filium suum hortatus est ne unquam subjectis contra regem suum pugnantibus præsidium præberet, quod scelus in reges omnes admissum ducendum esset, exempli causa (3).

Ista ad publicum jus : quod ad privatum spectat, tum vere barbaris consuetudinibus ubique oppressos esse advenas non est obliviscendum, pro servis habitos, bona eorum fisco vindicata. Baconus autem inter primos omnes homines unius civitatis esse scripsit : « Lege naturali omnes homines in orbe terrarum inter « se cives sunt; omnes enim ex eadem terra facti sunt, ex « eodem Dei spiritu; iis iidem fuere parentes, imo principio, quod « declarat Scriptura, fuerunt *unius labii*, uno sermone utentes, « usque ad maledictionem. » Civili jure adsumpta sunt verba illa, civis et exterus. Quæ quia cum naturæ legibus repugnant,

(1) Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. I, c. III : « Le droit des gens est « naturellement fondé sur ce principe que les diverses nations doivent « se faire dans la paix le plus de bien et la guerre le moins de mal qu'il « est possible, sans nuire à leurs véritables intérêts. »

(2) Letter to sir G. Villiers, 7.

(3) Βασιλικὸν Δῶρον, 2da pars.

non iis lex favet, sed ea stricte capit : « Civiles omnes leges « stricto sensu sunt intelligendæ, ubi naturæ legibus videntur « obrogare (1). In *Atlantide nova* introitum exterorum prohibet, Platonem in opere Platonico secutus (2) : humanitatis vero jura servari jubet, nec modo, quod ipse Plato vult, hospitium iis, si qui forte in insulam venerint, præberi, sed quibus ita bene ordinata visa erit civitas, ita sapientes leges, ita felix populus, ut eadem felicitate frui, iisdem legibus uti cupiant, concedi civitatem.

Animadvertendum in *Atlantide* quanta benignitate faciat haberi Judæos. Tunc eos extra jus omne positos esse ducebant Europæi : tempore miserrima et vilissima eorum conditio paulo melior fieri cœpta erat (3). Nauta, cui Atlantidem videre contigit, a se familiaritatem cum mercatore quodam, cui nomen Joabin, contractam narrat : « Erat autem Judæus et circum- « cisus. Paucas enim quasdam Judæorum stirpes inter eos nunc « degentes habent, quibus religionem suam permittunt : quam « veniam facilius indulgere possunt, quandoquidem Judæi illi « a Judæis in reliquis orbis partibus moribus longe diversi sunt. « Nam, quum Judæi alii nomen Christi odio habeant, atque ad- « versus populum inter quem degunt secretam et inveteratam « malitiam foveant, hi contra servatori nostro attributa plu- « rima sublimia reddunt, nationem autem Bensalem amant « impensissime (4). » Judæos, si qua meliorem animum erga Christum atque Christianos sumere velint, jam melioribus legibus victuros esse, nondum adæquari ceteris hominibus civesque fieri posse existimat.

(1) The argument in the case of the Postnati.

(2) Bac., Nov. Atlantis, 15. — Plat. de Leg. XII.

(3) A proposition to his Majesty touching the compiling and amendment of the laws of England : Statuta vetera abroganda dicit Baconus, « where « the case, by alteration of time, is vanished, as Lombards, Jews, etc. »

(4) Nova Atl., 21.

II. De belli causis. — « Regnorum vita, ait philosophus « quidam, est hominum vitæ similis : his jus occidendi com« petit, ubi seipsos defendere natura coguntur; illa bellum « gerere possunt, ad se ipsa tuenda (1). » Non satis, nisi se ipsum tueri non sit modo vitam, sed quidquid vitæ sit præsidio tueri : bella sunt lites, nec aliud nostro esse videntur : « Quum « rex aliquis bello parat regionem quam suam natali jure possit « dicere, regnum non ab armis, sed a prino illo jure proficisci« tur, quia judicantur res atque recuperantur non minus bello et « armis quam lege atque jure (2). » Armis de jure decertandum est.

Justa igitur belli causa sit necesse est, non aliter atque si litigare velis, de jure quodam tibi litigandum. Sunt vero et litigantibus et bellantibus falsæ causæ, sunt veræ. Illis, quum apud judicem veritas maximi sit momenti, utilitas sua obstat quin temere rem in judicium deducant : his unus judex esse solet in terra, vis.

« Bella sunt, ut lites civiles, aut querelæ aut defensiones (3). » Nil autem justius quam quemquam impetitum sese defendere. Prima sit ista causa belli, ad quam omnes referantur ; non enim insulse Baconus querelas quasdam pro defensionibus habendas addit. Non aliter istæ probari queunt, quam si quiddam tibi ademptum denegatumve injuria queraris. Quod si semper illæsus inviolatusque ab omnibus exteris nationibus permanseris, nulla legitima causa esse potest cur alium lædere atque violare velis.

Hoc igitur quærendum quibus in casibus lædatur populus injuria : utrum prior bellum alteri inferat an sustineat vix operæ pretium est considerare.

(1) Mont. *Espr. des Lois*, l. II, c. II.
(2) The argument in the case of the Postnati.
(3) Considerations touching a war with Spain.

Ante omnia Baconum increpem quod, si quis populus crescere finesque suos in immensum cupiat extendere, ei falsam quamdam et in commodum unice compositam justitiam suadere videatur. Huic enim populo « utendum ejusmodi legibus et consuetudi- « nibus quæ justas illi causas, aut saltem prætextus arma capes- « sendi, tanquam in promptu ministrent (1). » Melius prætextus ille quam causas dicit. Timeo tamen ne non satis clare justitiam hinc abesse, ubi consilium adsit, perspiciat : addit enim infra « non esse exspectandam statui alicui imperii amplitudinem, nisi « ad quamvis occasionem justam se armandi protinus expergis- « catur. » Nempe injustum est non modo sibi causas belli quæ justæ videantur, parare, sed etiam illas exspectare et optare, nec justum sit ab aliquo contractum ita fieri ut inde lis exsurgere queat, etiamsi scriptam legem ille secum stare cogat. Hoc tamen defendere potest Baconus quod talia scripserit in libro non de jure, sed de proferendis imperii finibus, ubi non quid æquum aut iniquum, sed quid ad augendum imperium utile sit tantummodo consideraverit.

Nationes aut pro se aut pro aliis bellum suscipere possunt.

Nationem autem lædunt injuriæ aut publicæ aut privatæ. Nunc enim civitati nocetur, finibus vastatis, aut parte soli rapta, aut publicis ministris violatis ; nunc civibus, exempli gratia, quia in alieno solo deprehensi sunt spoliatique aut prohibiti commercio. Bellicoso populo suadet noster ut « sensum habeat vividum « et acrem injuriæ alicujus vel subditis suis limitaneis vel pu- « blicis ministris illatæ (2). » Æquissimæ genti satis justa est causa bella gerendi, quod ipse testatur Jacobus I, rex æquitatis

(1) L. VIII, c. III, Exemplum tractatus summarii de proferendis finibus imperii, VII.

(2) Ibid.

maxime conscius et pacis amicissimus (1). A prima provocatione torpendum negat noster; id bellicosam gentem decet, non æquam. Distinguendum enim qualis sit causa, utrum in periculum adducatur respublica, an tantum pro injuriis illatis satisfactio exigenda sit, qua cum gente res geratur. Non ad arma ante veniendum quam non aliter satisfieri posse appareat.

Justa quoque est causa lædi famam gentis alicujus. Scilicet nationibus, non minus quam privatis, fama curæ esse debet (2), imo plurimum salutis interest an illæsa et intacta maneat illa. Hominibus enim, si forte dignitate sua exuantur, jus tamen legesque præsidio esse possunt, nationes quum viribus, tum fama videntur stare. Sunt quæ, amisso decore, nullo modo durare queant : « Quorum divisæ inter se sunt partes et ubi pauci ex « quadam gente orti, multo majori numero imperant. Sentiant « enim Indiæ, Belgica, Neapolis, Mediolanum et Sicilia Hispanos, « quorum tyrannidem tamdiu tulerunt, post multa incommoda « cladesque, gaudere quod cum Anglis æquam pacem feriant; « scient eos homines non esse a ceteris dissimiles et quam vile « sit *servitutem suam quotidie emere*, *quotidie pascere*. Quod si « Hispana gens armorum famam, magnitudinisque suæ nomen « amittat, nullo modo a rebellando deterreri possint ejus sub- « jecti (3). »

Sæpe vero evenit gentem nondum lædi, sed jam vehementissime timere ne lædatur : « Justus autem metus, ante quam fines « quisquam invaserit aut injuriam intulerit, probabilis est causa « defensionis bellique; utque prudentes optime privatis in causis « legitimum metum definiunt *justum metum qui cadit in constan-*

(1) Βασιλικὸν Δῶρον, Sda pars. Ibidem natum suum hortatur ne unquam bella injusta suscipiat, neque divinationis respectum habeat ad ea gerenda.

(2) Plato, de Leg. XII.

(3) An apology of the earl of Essex.

« *tem virum*, in rebus publicis est justus metus qui cadit in « constantem senatum, non metus quidam ex invidia et levi « aliquo timore natus, sed ex imminente periculo (1). » Haud secus Fenelo regna inter se conjungenda declarat, et quasi in societatem ventura, ad se invicem tuenda, si quis forte rex ad totum orbem terrarum domandum manifeste aspiret (2). Quod enim solet fieri providendum est; quæque gens autem ceteras superare cônatur : ne alia in nimium crescat cavere cogitur suæ salutis causa. Non est illud nocere, at se ipsum ceterosque a servitude defendere. Non enim regnis, ut privatis, leges sunt et magistratus qui divitum injurias prohibeant. Igitur, etiamsi Philippus II jure optimo Angliæ regnum affectasset, meliori jure ceteræ gentes, scriptas leges lege naturali vincente, quin illud quoque sibi pararet prohibere potuerant. Quid vero? justus metus num legitima causa esse potest cur potentiori bellum ultro inferatur? Hoc sæpe dictum refert Baconus in Turcas satis justam causam esse non solum religionem, sed etiam legitimum timorem, eo magis quod lege quadam, nullo provocante, bellum ciere propagandæ fidei causa iis permittitur. Jampridem Cæsar a se bellum et cum Helvetiis et cum Germanis susceptum, imo ultra Rhenum translatum memorat, quia inde ad Romanas provincias aliquod discrimen venturum esse intellexerat (3). Fenelo ipse ad bellum ultro ferendum negat quidem fœdus esse feriendum, nisi violata pace, detenta soli parte, attamen et ipse justum metum satis esse censet; si impugnare defensioni necessarium sit, modo ea lege feriatur fœdus, ut modus afferatur imperio, non tollatur istud (4).

(1) Sermones fideles : XIX, de Imperio, LVI, de Vicissitudine rerum.

(2) Supplément à l'examen de conscience sur les devoirs de la Royauté, I.

(3) Comment. de Bello gallico, l. I, 10 et 23; lib. IV, 16.

(4) *Loc. cit.*

Injustum est suscipi a te bellum, quia inde ad tuas res redundare posse aliquam utilitatem putas, in innocuam gentem. Recte igitur noster Platonem objurgat quod dixerit bello externo vitari posse internam seditionem : « Nunquam civilem scientiam cum « æquitate pugnare patiar, » ait ille (1). Etenim sæpe usu venit, ut Taciti verbis utar « bello externo concordiam pari, » non tibi licet, ut a te malum quoddam avertas, aliud vicino inferre.

Jan supra diximus civile jus non inter gentes satis valere. Ne qua gens igitur sese læsam esse existimet, quia civili juri jus gentium præstet. Optime et Fenelo et alii animadverterunt gentibus esse inter se leges quasdam, a civilibus legibus diversas, illis sæpissime contrarias, quas tamen vigere debere nulli dubium est (2).

An vindicta belli suscipiendi justa causa sit dubitari potest. Eam justam declarat noster (3), negat Fenelo (4). Quæ res ultionem reposcat, quid ultio velit considerandum. Non enim idem est ultionem aut satisfactionem exigere. Ne ultio quidem omnis injusta est : eam enim repeti plurimum famæ referre potest, cujus tuendæ gratia juste suscipitur bellum.

Nec solum sui, sed sociorum causa gentes arma ciere jure suo videntur. Scilicet iste fuit eritque semper mos populis potentibus etiam in pace populos quosdam sibi adsciscere socios amicosque, quibus si forte illata est injuria aut imminet, eos aut ulcisci aut defendere et possunt et debent : « Nullum bellum « suscipi a civitate optima, nisi *aut pro fide* aut pro salute » vult Cicero, Romanorum historiæ memor, nec iis nocuit pro fide

(1) Considerations touching a war with Spain.

(2) Fénelon. *Examen de Conscience*, XXXII. — Divers mémoires concernant la guerre de la succession d'Espagne, VI. — Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. XXVI, c. 20.

(3) De Aug. sc. l. II, c. 13, De bello secundum fabulam Persei, 2.

(4) Lettre à Louis XIV.

pugnare : « Noster autem populus sociis defendendis terrarum « jam omnium potitus est (1). » Non aliter Baconus : « Romanis « certe magna religio fuit strenue et impigre occurrere ad socios « tuendos, si quoquo modo oppressi fuissent (2), » bellicosæque isti genti, imperium affectanti, præcipit « ut prompta sit et « alacris ad auxilia mittenda sociis suis et fœderatis, » Romani exempli memor (3). Animadvertendum illud præceptum esse, si forte injuria læsi sint socii, non si ipsi bellum iniquum susceperint. Ne hoc quidem satis justum est quod eo amicos sibi paret quidam populus, quo facilius ad bellum gerendum justam causam habere queat; quid vero? nihilominus justa est, qua abuti possis, causa.

Quocum amicitia sit conjuncta non semper in promptu est decernere. Quid enim si cum rege ictum sit fœdus, ille vero a subjectis suis pellatur? Jamne tibi cum rege societatem esse ut illum vi restituere cogaris, aut cum populo, ut amicus illi maneas, putes? Baconi sæculo cum regibus, nostro cum populis potius facta esse societas videtur. Sane nunc etiam, ut Ciceronis tempore, « sic fieri solere accipimus ut regum afflictæ fortunæ « facile multorum opes ad misericordiam alliciant, maximeque « eorum qui aut reges sunt, aut vivunt in regno; quod regale « iis nomen magnum et sanctum esse videatur (4). » Misericordia fere omnibus satis est, nec nisi in parvis gentibus armis restituuntur principes; cum magnis amicitia servatur (5).

Num igitur licet rebus cujusdam gentis immisceri, ad statum ejus aut confirmandum aut immutandum? In *Perseo* noster

(1) Cic. de Rep. l. III, c. 23. — Cf. Cæsarem, de Bello Gallico, l. I, 33, 43, 44, etc.
(2) De Bello, etc. — 2.
(3) Exemplum tractatus summarii de proferendis finibus imperii.
(4) Pro lege Manilia, 9.
(5) Aristot. Pol. l. III, c. 1.

« inter causas belli admodum favorabilem » confitetur « esse « eam quæ tendit ad debellandas tyrannides sub quibus populus « succumbit, et prosternitur sine animis et vigore, tanquam « sub adspectum Medusæ : quod etiam Herculi divinitatem con- « ciliavit. » Non jam hic amicitia agitur; nonne tyranno, tanquam carnifici, eripi animas jubent humanitatis jura, ubique servanda ? « Sub tyrannide populum succumbere et prosterni « sine animis et vigore » reposcit tamen Verulamius; quod si non hominum mutua quæ esse debet caritas ad bellum impellere videtur, non ob reipublicæ formam istud suscipi patitur : « Quod « vero attinet ad bella antiquis temporibus, propter statuum « conformitatem quamdam aut correspondentiam tacitam gesta, « non video in quo jure illa fundata sint. Talia fuerunt bella « quæ a Romanis sumpta erant ad Græciam in libertatem vin- « dicandam; talia Lacedæmoniis et Atheniensibus ad consti- « tuendas aut evertendas democratias et oligarchias; talia quan- « doque illata sunt a rebus publicis aut principibus, sub prætex- « tu subditos alienos protegendi, et a tyrannide liberandi (1). »

Restant religiosa bella. Armis defendi posse religionem ulla sine dubitatione scripsit Baconus. An ejus causa bellum ultro queat inferri multo difficilius est. Distinguendum quidem utrum inter Christianos dogmatum causa, an Christianis cum alius fidei cultoribus decertetur. Inter Christianos ultro inferri bellum, nisi religionis causæ alia commoda juraque misceantur, vetat noster : non indigne philosopho et eo qui sæpe sectas omnes sibi invicem tolerandas contenderit. De Turcis et si qui Christianæ religionis omnino non sunt participes, quid voluerit Baconus ex dialogo (2), quem imperfectum reliquit,

(1) Exemplum tractatus, etc., 7.

(2) Dialogus de Bello sacro. Cf. Sermones fideles, De unitate Ecclesiæ, 4.

satis manifeste apparet. Martius quidam ab illo inducitur, vir militaris, pius tamen, qui reges Christianos « fidei Christianæ « propagationi armis et opibus suis non invigilare » indignatur. Præterea « non reperiri posse expeditionem aliquam aut actio- « nem, etiam respectu sæcularis amplitudinis et honoris ter- « reni quæ cum bello contra infideles comparetur, contendit, « Americæque exemplum memorat. Sentit quidquid in ordine « sit ad bonum populi alicujus majus et latius, actionem posse « injustitia absolvere, » Turcas autem negat civiliores esse quam Americanos. — Deinde verba facit Eupolis *politicus*. Tria ille in quæstionem venire jubet : « Utrum bellum propter fidei « Christianæ propagationem, absque alia aliqua hostilitatis causa, « jure suscipi possit et in quibus casibus, » deinde, « fatetur « libenter se audire velle disputationem de jure non solum « permissivo, sed etiam utrum non obligentur principes Chris- « tiani et respublicæ ad hujusmodi bellum inferendum.... Su- « perest quæstio comparativa, nempe, dato quod hæc res aut « legitima aut obligatoria sit, utrum tamen aliæ res eam præ- « vertere non debeant, veluti exstirpationes hæresium (2), « schismatum reconciliationes, prosecutiones titulorum et ju- « rium pro temporalibus dominiis et vindictis et hujusmodi, « atque insuper in quantum bellum illud sacrum ceteras illas « res vel præstolari debeat, vel cum iis pari passu incedere, vel « illas componere et in ordinem redigere, tanquam se infe- « riores? » Postero die quartam addit quæstionem : « Quousque « bellum sacrum sit prosequendum. » — Zebedæus autem, *theologus orthodoxus et moderatus*, « bellum contra Turcas jus- « tum esse et legitimum, tam jure naturali, quam jure gentium

(1) « Tyrannis crudelissima, polluta sanguine imperatorum suorum « in successionibus singulis, etc. »

(2) Eupolis est Romano-Catholicus.

« nec non jure divino » probare tentat. « Etenim si ordinem « naturæ spectes, non solum ei dominium debetur, qui intel- « lectu eminet, ut Aristoteles asserit (1), sed non minus ad « imperium requiruntur fortitudo ad protegendum et ante om- « nia probitas et rectitudo ad abstinendum ab injuria... Ubi « ipsa status constitutio et consuetudines et leges ejus funda- « mentales (si modo leges appellari mereantur) jus naturæ et « gentium plane convellunt, tum, inquam, bellum contra eos « justum censeri debet. Quid vero? num existere potest natio « aliqua vel hominum cœtus quibus justum sit bellum inferre « absque injuria aliqua præcedente quæ vindicanda sit aut pro- « vocatione? » Multos scriptores in hoc refert convenisse noster : « Ex hoc videre licet nationes quasdam nomine tenus exsistere, « quæ jure non sunt, sed multitudines tantum et examina populo- « rum. Quemadmodum enim homines quidam sunt quos *ex-leges* « appellamus, proscripti scilicet per leges civiles diversarum « regionum, ita etiam quædam nationes sunt *ex-leges* factæ et « proscriptæ per jura naturæ et gentium aut per mandatum Dei « immediatum... Sicut enim quædam sunt fœdera in scriptis et « in tractatus redacta, contra hostes particulares inita, ita natu- « ralis et tacita confederatio inter omnes homines intercedit « contra communes societatis humanæ hostes. » Quid si præte- rea « ecclesiæ reuniendum sit tanquam vetus Christi patrimo- « nium... liberanda Christianorum multitudo, inter barbaros « degens..., recuperanda loca sacra..., ultio capienda de blas- « phemiis aut de effusione sanguinis Christiani, quamvis multis « retro sæculis facta? »

Ne quis miretur a Bacono talem curam bello sacro adversus Turcas datam esse. Non unice religionis causa pro Sancto-Sepul-

(1) Polit., l. I, c. 2.

cro bellum gerere cuiquam ætate illa in animo erat; jam multi cupiebant ingentis imperii partem aliquam ad se trahere, nec ulli videbatur illud diu stare posse. Deerat vero causa belli, præcipue Angliæ, nisi in religione perpetua quædam foret (1).

III. QUOD SIT BELLI GERENDI JUS. — « Atque in republica maxime conservanda sunt jura belli (2). » De quibus optime dixit noster : « Justum gloriosumqne principes qui inter se bellum gerant, quocumque modo decertent vi et armis, et quamvis vires pecuniasque uterque alterius exhaurire in animo habeat, ita tamen cupiditatibus suis moderari ut duas res sanctas inviolatasque servent, uterque vitæ famæque alterius parcat. Non enim bella sunt interneciones, sed juris nobilissimæ disputationes, principibus et civitatibus, quibus nemo in terra superior sit, Dei judicium exspectantibus, qui lites hujusmodi decidat, alterum victorem esse faciens arbitrio suo. Utque in privatis causis, nihil non civilibus legibus subjectum est, ita in bellis nihil faciendum est contra leges gentium aut contra leges decori; utrisque autem semper visum est, qui in vitam principum conspirent quique libellis famam eorum lædant, communis hominum societatis hostes esse, qui nemini, ne bellantibus quidem, accepti esse debeant (3). »

Nec modo inter principes, sed et inter populos leges quasdam servandas esse constat. Quas jam veteres in honore habuere, multo magis Christiani (4), ut jus novum ab his introductum fuisse videatur.

(1) Of the true greatness of the kingdom Britain : « There cannot but ensue a dissolution to the state of the Turk, in regard to the largeness of empire, whensoever their martial virtue and discipline shall be further relaxed, whereof the time seemeth to approach. »

(2) Cic., de Officiis, lib. I, 11.

(3) Certain observations upon a libel published 1692.

(4) Montesquieu, *Esprit des Lois*, l. XXIV, c. 3. — J. de Maistre *Soirées de Saint-Pétersbourg*, 7e entretien.

Bellum autem ea lege gerendum est ut quam brevissimum sit, non aliter atque lites celerrime, non dicam expediuntur, sed expediendæ sunt : « Bella sunt ultiones et satisfactiones, quæ « quam diuturnæ esse debeant ex injuriis illatis pendet. » Jam ab nostro dictum esse memoravimus : « Nunquam non « censui bella morbos malaque, pacem veram, naturalem sa- « namque rerumpublicarum conditionem esse.... Si quis prin- « ceps, si qua civitas aut bonum commodæ gloriosæque pacis « occasionem omittat, aut bellum injustum ulla sine causa « moveat, eum contra justitiam et contra rationem facere (1). » Non tamen qualiscumque pax justitiæ et rationi se probat. Etenim « non pacis bellique nomen, sed res, sed utriusque condi- « tiones utrum sint amplectendæ, utrum fugiendæ decernere « oportet (2). » Sæpe reges eo necessitate adducuntur ut pacem feriant. Illa autem iniqua esse potest; non enim in jure gentium potius quam in jure civili ex consensu hominum pendet æquitas. In pace Fenelo pro non scriptis esse declarat conditiones, non solum si quas coactus sit hostis subire, sed et si quæ sint ambiguæ fallacesque, unde causa belli exsurgere queat (3).

In *Dialogo de Bello sacro*, hanc disputandam quæstionem dicit Eupolis : « Quousque bellum sacrum sit prosequendum? Nempe « utrum usque ad eradicationem et exterminium populorum? « atque insuper utrum res ad hoc deducenda sit ut fides nova « armis compellatur, religio falsa vi et suppliciis vindicetur; an « potius ut regiones et populi solummodo subjugentur, unde per « gladium sæcularem via reperiatur ad gladium spiritualem, « qui persuasione, instructione et hujusmodi remediis, quæ ad « salutem animarum et informationem conscientiarum propria

(1) An apology of the earl of Essex.
(2) Ibid.
(3) Examen de Conscience, etc., XXVI. — Lettre à Louis XIV.

« sunt, penetret? » Non quidem quæstioni responsum est in *Dialogo* : attamen ex ceteris nostri libris colligi potest eum ad mansuetudinem propensum fuisse, nec nisi spiritualem gladium ad propagandam christianam religionem aptum ei visum esse (1).

IV. QUIDQUID DE JURE SCRIPSIT BACONUS AD CHRISTIANOS TANTUM SPECTARE. — Hoc in capite facile intelligitur non inter omnes gentes jus quod dicitur gentium esse, si Bacono credendum. Vidimus quid de pace, de coloniis, de causis belli, de bello ipso ille scripserit, nonnisi inter Christianos jus legesque vigere jubens. Vetat enim, ubi sedere inceperint Christiani coloni, eo coloniam deduci, Christiano sane jure. Non autem jus gentium obstat quin paganus ager occupetur : « Meminisse debueras homines silvestres et mere barbaros similes esse bestiis et avibus, quæ feræ sunt naturæ, quarum proprietas (qualis esse potest) possessionem sequitur et occupanti conceditur (2). » Qui cum Turcis agendum putet Baconus modo diximus : jam societatem quamdam Christianorum esse existimat, quisquis autem ejus in partem non venerit, jure quo vivunt illi non uti debere. Humanitatis jura non omnino vult sublata : illa servari satis est.

Animadvertendum est similem distinctionem in *Republica* Platonis obtinere (3). Ille mitius inter Græcos bellum geri cupit, prohibet ne spolientur mortui, ne hostes eos sepelire vetentur, ne victi exercitus, præsertim Græcorum, arma in templis suspendantur, ne vastentur uranturve agri, rapta tantum præsentis armi segete; isto modo cives Platonicæ civitatis se cum ceteris Græcis gerere debere, cum barbaris vero non aliter atque nunc

(1) Sermones fideles, III. — De Unitate Ecclesiæ, 4.
(2) Dialogus de Bello sacro, 14.
(3) Lib. V.

sese cum Græcis gerunt. Duo jura servari vult ille, unum quod Græcum vocari potest, alterum quod nihil aliud quam jus gentium est, ut Bacono jus Christianum hinc, jus gentium illinc esse placet.

Ipso in Cicerone distinguitur utrum salutis gloriæve causa decertandum sit : « Quum enim de imperio decertatur belloque « quæritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem « quas dixi paulo ante justas causas esse bellorum. Sed ea bella, « quibus imperii gloria proposita est, minuus acerbe gerenda « sunt (1). » Jam supra ille dixerat : « Majores nostri Tuscu« lanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem ac« ceperunt; at Carthaginem et Numantiam funditus sustu« lerunt. »

Nil mirum; nempe jus est vinculum, quo duo pluresve inter se continentur. Nec si quis eo liberum se contendit, eodem tu cum illo tenendus es. Attamen verum est latius aut strictius esse jus gentium inter diversas nationes, non id alicunde omnino abesse, quum ubique vigere æquitas ac ratio debeant.

V. QUOD SCRIPSIT BACONUS DE JURE GENTIUM AN CUM GROTII LIBRO CONFERRI POSSIT. — Baconus eo tempore scripsit quo nondum Hugo Grotius de jure pacis bellique regulas certas ponere inceperat. Hic istius juris primus parens dici solet : recte, quum primus ante omnes istam civilis doctrinæ partem unum in corpus redegerit, nec nobis in mente est cum libris, quos divinos vocavere annotatores, Grotii, aliquot, ex multis operibus Baconi collecta, præcepta conferrre, nedum hunc illo præstare contendamus. Attamen a Bacono hac in doctrina non parvam operam positam esse ostendendum fuit, non igitur ei deesse, quam sibi jure vindicat Grotius, laudem, quod utilissimum fuerit hoc tempore de jure gentium disserere : « Atque eo magis

(1) De Off. I, 11 et 12.

« necessaria est opera, ut inquit Grotius (1), quod et nostro sæ-
« culo non desunt et olim non defuerunt qui hanc juris partem
« ita contemnerent quasi nihil ejus præter inane nomen exis-
« teret, » et infra opus a se inceptum esse declarat quia « vide-
« bat per christianum orbem vel barbaris gentibus pudendam
« bellandi licentiam : levibus aut nullis de causis ad arma pro-
« curri, quibus semel sumptis nullam jam divini, nullam hu-
« mani juris reverentiam, plane quasi uno edicto ad omnia
« scelera emisso furore (2). »

Nec ista, quæ retulimus, præcepta Grotio indigna sunt, sed pleraque ab illo pro regulis posita sunt : « Tantum abest ut « admittendum sit quod quidam fingunt in bello omnia jura « cessare, ut nec suscipi bellum debeat, nisi ad juris consecu- « tionem, nec susceptum geri nisi intra juris ac fidei mo- « dum (3). » Ut inter privatos « alteri prodesse qua possimus, « non licitum modo sed et honestum est » et « ut cetera desint « vincula, sufficit humanæ naturæ communio (4), » ita a regibus pœnas repeti posse putat ob injurias quoque « quæ ipsos pecu- « liariter non tangunt, sed in quibusvis personis jus naturæ aut « gentium immaniter violant (5). » Bella juste non inferri iis qui christianam religionem amplecti nolunt, juste autem iis qui christianos ob solam religionem crudeliter tractant scribit (6).

Nonne et *conclusio* cum Bacono videtur convenire ? « In tota « belli administratione, non potest securus et Deo fidens animus « retineri, nisi semper in pacem prospectet... Pax ergo tuta « satis haberi si potest et malefactorum et damnorum et sump-

(1) De Jure belli ac pacis, Proleg. 3.
(2) Proleg. 28.
(3) Ib. 25.
(4) Lib. I, c. V, §. 6, 1 et 2.
(5) Lib. II, c. XX, §. 40.
(6) Lib. II, c. XX, §§. 48 et 49.

« tuum condonatione non male constet : præcipue inter Christia-
« nos quibus pacem suam Dominus legavit (1). »

A Grotio quoque nonnisi inter Christianos jus gentium constitutum esse ex plurimis locis apparet.

Quamvis autem de Bacono scribam, confiteor aliquot in locis magis cum æquitate congruere Grotii sententias, nescio qua de causa, utrum civium et æqualium exemplo corrupta sit mens nostri, an illi facilius fuerit, librum de jure gentium scribenti, ex ratione regulas omnes deducenti, quid *posceret æquitas* invenire. Exemplo sit quod de justo metu scripsit, an legitima sit belli causa quærens : « Fateor in consultationem de bello et hoc « venire, non sub ratione justi, sed sub ratione utilis : ut si ex « alia causa justum sit bellum, ex hac causa prudenter quoque « susceptum judicetur : nec aliud dicunt qui in hanc rem « citantur auctores. Sed ut vim pati posse ad vim inferendam « jus tribuat, ab omni æquitatis ratione abhorret. Ita vita « humana est, ut plena securitas nunquam nobis constet. « Adversus incertos metus a divina providentia et ab innoxia « cautione, non a vi præsidium petendum est (2). » Ignoscatur tamen Bacono quod una cum Fenelone erraverit.

(1) Lib. III, c. XXV, §§. 2 et 3.
(2) L. II, c. I, §. 17.

LIBER SECUNDUS.

DE JUDICIIS (1).

De judiciis disserendo, quomodo jus vim habeat videbimus. In capite primo, *de Curiis et Tribunalibus*, unde oriatur judicandi potestas, quot sint diversa inter se Tribunalium genera, qui judices eligendi sint quæremus : in secundo, *de Officio judicis*, quod sit erga regem, erga litigatores judicis officium, quamque diverse teneantur diversi judices; in tertio, *de Advocatis*, quomodo sit oranda causa.

CAPUT PRIMUM.

De Curiis et Tribunalibus.

I. UNDE ORIATUR JUDICANDI POTESTAS. — Judicare est de vita, de fama, de bonis civium sententiam ferre. Quod nemini permittendum est, nisi ei penes quem plenum imperium rerumque omnium summa posita sit. Jam apud eum residere judicandi potestatem omnes gentes confitentur, quis ille sit inter se disputant : hinc enim reipublicæ arbitrium populo, illinc regi committi asseritur : nomine aut populi aut regum jus dicitur. Nec tantum scholastica et in pompam composita est illa disputatio : ubi enim aut unius aut omnium plenum imperium esse dicitur,

(1) Ipse Baconus *de Judiciis* titulum scribere in animo habuit (*de Fontibus juris*, XLVI).

hic jus precarium sit necesse est, quum, etsi illi a se distrahi siverint potestatis tantam partem, poscentibus temporibus, eamdem ad se retrahere soleant, nullo prohibente (1) : ubi ratio vera solaque rerum nostrarum domina reginaque habetur, in ratione quoque residere, ex illa oriri judicandi potestatem facile intelligitur; nec jam corrumpi queunt judicia, quantum est in humanis rebus. Recte igitur dixit noster : « Jus privatum sub tutela juris publici latet : lex enim « cavet civibus : magistratus legibus. Magistratuum autem « auctoritas pendet ex majestate imperii et fabrica politiæ et « legibus fundamentalibus : quare si ex illa parte sanitas fuerit « et recta constitutio, leges erunt in bono usu : sin minus, pa- « rum in iis præsidii erit (2). »

Ne quis tamen miretur in quibusdam civitatibus, quanquam penes populum esse plenam potestatem fertur, aut rationi convenienter temperata est reipublicæ administratio, nomine regis dici jus. Scilicet usus prævalet qui tamdiu obtinuit, quumque regis sit judiciis manu vim dare, docentur omnes illis esse obtemperandum ne manu cogantur.

Bacono nihil aliud videtur judicandi potestas quam pars quædam regiæ potestatis, quam a se dishrahi patitur Rex utilitatis omnium causa, quæ tamen nescio quid regii retinet : « Regis « persona et auctoritas, ut ait ille, imaginem sui habet in tribus « rebus, in signis, in pecunia, in majoribus magistratibus (3). »

(1) Bacon. — Of the state of Europe : Duke of Tuscany : « The forme of « his government is absolute, depending only of his will and pleasure, « though retaining in many things the ancient offices and shew; but « those magistrates resolve nothing without his express direction and « pleasure. »

(2) De Font. juris., III.

(3) The judicial charge upon the commission of Oyer and Terminer held for the verge of the court.

Quid inde consequatur mox apparet; perduellionem esse illos occidere, non aliter atque si Regi vis inferatur (1).

Baconus quo pacto judicia in Britannia ordinata fuissent retulit (2) : principio quidem a Gulielmo I curiam quamdam erectam fuisse, vice ejus dicentem jus, scilicet *justiciarios ad placita coram rege assignatos*, ex quibus unus esset *justiciarius-capitalis* (3), inde, magis magisque crescente populo, in comitatusque diviso regno, unum comitem cuique impositum esse, cui adesset curia; mox autem in centurias (4) divisos comitatus et unicuique præpositam curiam cui præses a comite eligeretur : tandem regibus necesse visum esse ut omne jus ex ipsis penderet, et quotannis ab illis missos esse vice-comites (5). Nullum esse judicem patet ad quem non ex rege veniat potestas : recte quidem : non enim potius « de stillicidiorum ac de parie« tum jure » quam de vita civium sententiam ferri fas est, nisi ab illo penes quem plenam potestatem esse Deus voluerit.

Nec ista tantum ad Britanniam : sed juris publici rationes perscrutatus, antequam ad utriusque regni conjunctionem procedere cœperit, illud ex quatuor partibus constare noster declarat, quarum una ad magistratus, munera et curias spectat : hic enim regiæ potestati locus est, unde cetera defluere videntur (7).

Non aliter Plato judices eligi unum atque idem esse atque creari magistratus censet; quamvis enim magistratus nomine

(1) Letter to sir G. Villiers : Obviam iri judici in comitatum advenienti reposcit, ut vicariis Regis venerationis testimonium detur.

(2) The use of the law for preservation of our persons, goods and good names, etc.

(3) Chief-justice.

(4) Into hundreds.

(5) Sheriffs.

(5) A preparation toward the union of the laws, etc.

careant judices, his tamen illorum potestatem competere, quum lites judicando decidunt (1).

Quum nihil aliud judices quam regiæ potestatis partem exerceant, nonne cuilibet ea delegari potest? Judices principio creare rex potuit, ne ipse, jam rerum publicarum administratione occupatus, causarum privatarum immensa mole obrueretur : quod si quas instituit curias pauciores esse sentit, quid obstat quominus alias instituat? Regis est curias condere, si Bacono credendum. Jacobo enim suadet ut curiam quamdam instituat, quæ pariter in finibus Angliæ Scotiæque valeat, secundumque utriusque regni leges atque consuetudines jus dicat, sed mixtam esse cupit, quod ad conjunctionem efficacissimum fore arbitratur (2). Nec satis : « Quasi commune vinculum utriusque juris, regem hortatur ut juxta sese curiam erigat, magno consilio Galliæ similem, « ad quam possit evocando causas a judicibus ordinariis transferre non aliter atque rex Galliæ ad se trahit res ex omnibus parliamentis, quorum aliquot remotiora sunt a Lutetia quam ulla « Scotiæ pars a Londinio (3). »

Nec satis æquum, nec satis utile mihi videtur esse Baconi consilium. Num possunt, in mixta monarchia, a rege creari curiæ? Nonne ordo magistratuum ingens legum pars est, ut, illo perturbato, illæ quoque perturbatæ esse videantur? Adde quod raro novi judices requirantur, nisi ad novas causas : ipse Baconus cur novas institui curias cupit, nisi ut misceatur jus utriusque regni? Quæ res sine Parliamento nullo modo fieri debet, quum rex non possit sine illo leges aut condere aut mutare. Nihil ille præter exempla quæsiit : omnes autem Britannicas curias a regibus creatas fertur, a Gulielmo I usque ad Elizabetham, tempore quo non-

(1) De Leg. VII.
(2) Certain articles or considerations, etc.
(3) Ibid.

dum satis fuerat definita reipublicæ forma. Jam vero queri homines cœperant quod curiæ institutæ essent a regibus, quæ de novis inusitatisque causis judicarent, multæque latæ iniquæ sententiæ; inde iræ, jamque ingruentes novæ res (1).

II. DIVERSA ESSE DEBERE CURIARUM GENERA. — Diversa autem sunt curiarum genera, non solum diversi gradus, quos esse debere nemo negat. Has enim secundum legem, illas ex arbitrio boni viri judicare vult Verulamius.

De curiis quæ secundum legem judicant nihil est in illo : non enim ulli genti persuadendum est ut tales in se habeat; quum id satis clare natura rerum jubeat : quomodo sint ordinandæ tractare omisit noster, jus publicum Angliæ omnibus semper, tanquam exemplum, sane propositurus.

Curias prætorias et censorias in libro *de Fontibus juris* attigit. Illis opus esse in casibus omissis a lege declarat :

« XXXII. Curiæ sunto et jurisdictiones, quæ statuant ex arbitrio « boni viri et discretione sana, ubi legis norma deficit. Lex enim « (ut antea dictum est), non sufficit casibus, sed ad ea quæ ple- « rumque accidunt aptatur ; sapientissima autem res, tempus, ut « ab antiquis dictum est, et novorum casuum quotidie auctor et « inventor.

« XXXIII. Interveniunt autem novi casus et in criminalibus, « qui pœna indigent; et in civilibus, qui auxilio : curias quæ ad « priora illa respiciunt, censorias, quæ ad posteriora, prætorias « appellamus. »

Hoc igitur curiæ munus ante omnia suscipiunt, ut, lege defi-

(1) M. Guizot, *Histoire de Charles Ier*, l. III : « Les chambres... pour- « suivaient la réforme, en demandant, par des motions successives, « l'abolition de la Chambre Etoilée, de la Cour du Nord, de la Cour de « Haute-Commission ecclésiastique, de tous les tribunaux d'exception « (16 février 1641). »

ciente, jam ipsæ quamdam, ut ita dicam, legem de unoquoque casu omisso ferant. Nec satis.

« XXXIV. Habento curiæ censoriæ jurisdictionem et potestatem, « non tantum nova delicta puniendi, sed etiam pœnas a legibus « constitutas pro delictis veteribus augendi, si casus fuerint odiosi « et enormes, modo non sint capitales. Enorme enim tanquam « novum est.

« XXXV. Habeant similiter curiæ prætoriæ potestatem tam sub- « veniendi contra rigorem legis, quam supplendi defectum legis. « Si enim porigi debet remedium ei quem lex præteriit, multo « magis ei quem vulneravit. »

Parum est : « XLI. In curiis censoriis omnium magnorum cri- « minum et scelerum actus inchoati et medii puniuntor, licet « non sequatur effectus consummatus, *isque sit earum curiarum « usus vel maximus :* quum et severitatis intersit initia scelerum « puniri et clementiæ perpetrationem eorum (puniendo actus « medios) intercipi. »

Alterum illud munus nihil aliud est quam judicibus potestatem permitti legis mutandæ, legis autem alius de unoquoque casu ferendæ. Quot et quanta incommoda inde queant exsurgere sentit ipse Baconus : quibus remedium afferre conatur.

« XXXVII. Jurisdictiones istæ in supremis tantum curiis resi- « dento, nec ad inferiores communicantor. Parum enim abest a « potestate leges condendi potestas eas supplendi aut exten- « dendi aut moderandi.

« XXXVIII. At curiæ illæ uni viro ne committantur, sed ex « pluribus constent.

« XLV. Apud nonnullos receptum est ut jurisdictio quæ decernit « secundum æquum et bonum atque illa altera quæ procedit « secundum jus scriptum, iisdem curiis deputentur, apud alios « autem, ut diversis. Omnino placet curiarum separatio. Neque « enim servabitur distinctio casuum, si fiat commixtio jurisdic- « tionum; sed arbitrium legem tandem trahet. »

Baconus scilicet de more ante oculos Britannicum exemplar habuit. Fuit enim Britanniæ et prætoria et censoria curia. Prætoria quidem est cancellarii curia. Quam Romano prætori cancellarius sit similis ipse animadvertit noster (1), et incredibile est, ut in utroque jure eumdem magistratum sub nominibus diversis esse reputes. Cancellarius, præter alia munera, hoc vere prætorium officium habuit ut ex arbitrio boni viri judicaret, jus civile corrigeret aut suppleret. Unus scilicet, non aliter atque prætor judicabat (2), prudentes tamen ad se vocare poterat, quorum consilio quidem uteretur, non sententia astringeretur. Ejus erat interdictis aut possessionem protegere aut restituendam curare : quin edictum quoddam, inito magistratu, edebat, qua lege usurus esset significans. Hoc vero inter utrumque interfuit quod ad prætorem nonnisi integræ res deferri possent, ad cancellarium jam lege communi judicatæ (3).

Censoriæ vice curiæ fuit stellata camera, de qua disseruit Baconus : « Auctoritas cameræ stellatæ, quæ antea lege regni « communi tantum nitebatur aliquibus casibus robore statuti suf- « fulta est (Henrico VII regnante). Curia autem ista ex maxime « prudentibus et generosis hujus regni institutis censeri possit. « Nam in distributione tribunalium regni (excepta suprema curia « parliamenti) in qua curia Banci regis criminibus quæ contra « coronam committuntur, curia Banci communis litibus civi- « libus, curia Scaccarii causis, quæ ad reditus et proventus regis « spectant, et curiæ cancellariæ causis quæ mitigationem rigoris « juris, ex arbitrio boni viri, ad exemplum juris prætorii, me-

(1) The effect of that which was spoken by the hord keeper, etc.

(2) The argument in the case of the Post nati : « Your lordship, my « lord Chancellor, though you be absolute judge in the court, and might « have called to you such assistance of judges as to you had seemed « good. »

(3) The effect, etc.

« rentur, politice admodum assignatæ sunt; semper tamen « reservata est magna et præeminens jurisdictio consilio sanc- « tiori regis in causis quæ vel exemplo vel consequentia regni « statum publicum oppugnare et convellere possent; quæ si « criminales fuerint, consueverunt consiliari in camera (quæ « vocatur stellata), si civiles, in camera vel aula (quam vocant) « alba convenire. At quemadmodum cancellaria jus prætorium, « ita camera stellata jus censorium (demptis tamen capitalibus) « imitatur. Ista autem curia cameræ stellatæ ex bonis composita « est elementis. Ex quatuor enim generibus personarum com- « mista est, consiliariis regis, proceribus, prælatis et judicibus « aliarum curiarum principalibus. Etiam quatuor causarum ge- « nera præcipue tractat : vim illatam : fraudes : crimina varia « stellionatus : et inchoamenta sive actus medios, qui vergunt « ad crimina capitalia, aut alias atrocia, licet nunquam actua- « liter commissa et perpetrata fuerint (1). »

Nobis autem, non Britannis, Britannica exempla quid ponderis habeant quidque velit ratio licet quærere.

Bacono duo sunt argumenta : non omnibus in casibus satis æquam esse legem et ideo secundum æquitatem ubique temperari solere leges aut suppleri : « Hæc est nova doctrina quæ legem « et æquitatem inter se pugnare facit. Nulla est sub cœlo lex « quæ non æquitate suppleatur : nam *summum jus, summa in- « juria*, aut, ut quidam dicunt, *summa lex, summa crux*. Æqui- « tatem igitur omnes nationes habent; sed in aliis ea cum lege « mixta est in eadem curia, quod pejus est; in aliis, diversæ « sunt curiæ, quod satius (2). »

Duplex munus curiarum istarum esse jubet, scilicet ut jus sup-

(1) Historia regni Regis Henrici VII.
(2) The jurisdiction of the marches.

pleant, ut jus corrigant. Num utrumque cum ratione conveniat videbimus.

Nulla unquam fuit lex quæ nihil omisisset. In civilibus autem causis eam suppleri et utilitas omnium et æquitas reposcit (1) : « Si lex est obscura, judici quid ea ferat quærendum. Ea quoque « supplenda, ubi aut silet aut nimis angusta est. Qui hoc judicis « munus esse negat tollenda omnia tribunalia censet. Nunquam « enim contra expressa verba legis agitur : liti non locus est, nisi « saltem dubitari posse apparet. Quod si judices, ubi lex non est « clara et certa, jus denegare possunt, perturbatur omnis homi- « num societas; nullo modo lites componi. Quid enim? Num de « omisso casu feretur lex ? Non partes inter se contraxerant, vi- « gente illa lege, non ex ea judicari queunt... Attamen dominia « et ceteræ res in incerto esse non possunt : judicandum igitur... « Immensum est jus civile, legibus autem limites sunt. Non fieri « potest de unoquoque casu lex quædam: non debet ferri de « extraordinariis casibus. »

Num autem curia æquitatis creanda est, quæ de omissis casibus statuat? Nihil inutilius esse reor, nihil periculosius. Mox enim inter utramque curiam controversiæ oriantur necesse est et ipse Baconus coortas esse memorat (2). Utra enim omissum a lege fuisse casum statuat difficile est, utraque ad se quam plerosque casus trahente. Nec satis : non pure ex arbitrio boni viri sententia est ferenda : quærendum est annon similes sint in jure casus, ut nisi secundum legem, certe proxime legi possit judicari. Quod non sine periculo committitur judicibus, quibus minime curæ esse debet commune jus, quique contra legem scriptam instituti esse videntur.

(1) Fenet. — Travaux préparatoires du Code Civil, t. VI. — Vid. præcipue *Discours de Portalis*, p. 268.

(2) Letter 128. — To the king.

Censoria autem quæ dicuntur a nostro munera omnino a ratione abhorrent. Nullo modo debet suppleri jus quod ad pœnas attinet, non sane quia nihil est injustum, quod non a lege sancitur, sed quia non omne quod est injustum puniendum (1). Duplex enim illi juris parti fundamentum est, justitia et utilitas. Nihil sancire debet hominum societas, nisi quod injustum; nihil, nisi quod sibi nocet. Ubi utilius est aliquid impune tolerari, impune sane tolerandum. Quid autem utilius quam neminem puniri posse, nisi ex lege? Quod si ex arbitrio judicis scelerum nomina pendere patiaris, jam nemo tutus esse potest, omnes in terrore esse, quum ideo pœnæ sint constitutæ ut omnes tuti agere queant. Adde quod sæpe delictorum novæ figuræ turpibus de causis introducantur, nec iniquitati quidquam magis faveat, quam curiæ istæ, æquitatis causa compositæ.

Nec minus alterum curiarum munus, quod leges corrigant, quum utilitati publicæ, tum æquitati contrarium dici potest. Quod ad leges civiles spectat, quas recte jubet Baconus certas esse, quid incertius iis, si jam ex arbitrio boni viri pendent? si judicia ipsa rescindi possunt? Quid injustius? Non enim « ei quem vul-« neravit lex afferre remedium potest » nisi alio vulnerato. Quid periculosius, magistratuum exemplis sublata legum auctoritate? Curiarum inter se æmulationem, quam attigi supra, nunc omitto.

Pœnas autem augeri posse a judicibus non jam injustum, sed atrox esse videtur. Ipse Baconus secum pugnat, qui scripsit : « Durum est torquere leges ad hoc ut torqueant homines. Non « placet igitur extendi leges pœnales, multo minus capitales ad « delicta nova. » Additur vero : « Quod si crimen fuerit vetus et « legibus notum, sed prosecutio ejus incidat in casum novum

(1) M. Ortolan, *Eléments de Droit pénal*, l. 1, P. 2, tit. 14, c. 1, §. 2.

« a legibus non provisum, omnino recedatur a placitis juris po-
« tius quam delicta maneant impunita (1). » In *enormibus* casibus a jure, a justitia recedi posse putat : ipse recessit qui in perduellione nihil accessorium, omnia principalia esse dixit. Neque id soli Bacono vitio vertatur, sed et æqualibus ejus. Jacobus I, in capitalibus causis, testes a reo adhiberi non passus est, ne inde perjuria procederent (2), et apud nos veniam ætatis in atrocibus sceleribus diutius cessavisse fertur (3).

Nec ipsum Baconum fefellit quam grave esset tantam judicibus potestatem permitti. Confitetur quidem « parum abesse a potes-
« tate leges condendi potestatem eas supplendi, aut extendendi,
« aut moderandi. » Ideo jurisdictiones tales supremis in curiis residere jubet; nonne et supremis curiis tantam partem potestatis, quæ legum conditoris esse soleat, delegari nefas? Regi quidem non licet sine parliamento jus condere, qui, ut reor, leges certas constantesque ferre possit : ne igitur judicibus de unoquoque casu diversas leges constituere liceat. Nec supremis curiis omnino credendum; sæpe compertum est nullas magis gratiæ obnoxias esse, nec ullum exemplum sumptum velim, nisi a temporibus et patria Baconi, quin a Bacono ipso. Non satis est quod ille vetat uni viro committi curias, contra exemplum Britanniæ : paucos enim judices esse necesse est; apud paucos autem gratia maxime valere solet, nec iis potest juris mutandi permitti potestas. Ipsi Britanni prudentes casus quosdam esse ferunt, in quibus non satis valeant æquitatis curiæ adque Parliamentum res deferenda sit (4).

Romæ quidem fuere et censor et prætor. Censor autem antiquos mores tuebatur, nec ad bona aut corpora censoriæ pœnæ perti-

(1) De Font. juris, XIII.
(2) Lingard, t. IX, c. II.
(3) Ortolan, *loc. cit.* l. I, pars 2, tit. I, c. II, §. 2.
(4) Blackstone, t. II, c. 21.

nebant, sed ad statum civium, si quis de ordine dejiceretur, aut ad existimationem, si quis notaretur : qui, nulla sententia jure lata, de statu depulsus erat, ad populum poterat provocare : publicæ autem causæ omnibus in civitatibus ad populum deferendæ erant, nec illa minima pars libertatis esse videbatur (1). Prætori legis annuæ ferendæ potestas ideo potius usu permissa quam legibus ipsis data fuit, quia principio durius erat jus civile Romanum et angustius, paucissimas causas amplexum paucissimosque homines : ubi jus est civile satis æquitati et rationi consentaneum, non opus est prætoria jurisdictione.

Longum Parliamentum cameram stellatam, id est, censoriam curiam sustulit, cancellarii, id est, prætoriam curiam servavit. Sane multo iniquius et durius est pœnas quam jus civile arbitrio judicum relinqui : camera stellata nomine prisca, re nova erat, usque adeo ab Henrico VII et a regibus qui in locum ejus successere aucta erat! Cancellarii curia omnino vetus, ut jam in reipublicæ forma pars haud parva esse videretur. Præterea hoc in curiis æquitatis fieri solet, nec minus in cancellarii curia, quam apud prætores, quod leges quasdam sibi ferunt certas et constantes, quæ arbitrio suo minus relinquant.

Nihil de curia dominorum scribendum censuimus : semel de illa verba fecit Baconus hunc in modum : « Vestræ Dominationes « non sunt meri judices, sed parliamentarii judices : vobis latius « patet arbitrium, quam ceteris curiis : atque, si vestræ Domi- « nationes ordinariis rationibus curiarum vel morum, quod ad « rigorem et severitatem attinet, haud obligatæ sunt, multo « minus quidem, quod ad misericordiam et ad mansuetudi- « nem (2). » Illa autem de se reo dixit Baconus : causa vero iis auctoritatem omnem auferre mihi videtur.

(1) Plato, *De Legibus*, VI. -- Montesquieu, *Esprit des Lois*. l. VI, c. V.
(2) The passages in Parliament against Bacon.

III. QUOMODO ELIGENDI SINT JUDICES. — Quomodo eligendi sint judices consiliis potius quam præceptis significat noster (1). Illa tamen notanda sunt. Non ille præsidem inter causidicos semper eligi probat, sed ex ipso magistratuum ordine cupit, ad animum ceteris addendum. Ne venalia sint Regiorum causidicorum aut servientium-ad-legem officia petit, quoniam ex iis judices capi solent. Quin patitur in electione non solum Regem valere : « Lex « nostra cupit vice-comitem eligi, proponentibus magnis regni « officiis et suadentibus judicibus qui totam provinciarum nobi- « litatem cognoscere præsumuntur. Rex quidem per se ipsum « vice-comitem designare potest : præstat vero vetus consue- « tudo (2). » Ibidem noster hortatur ne unquam conservator pacis ob claræ cujusdam personæ invidiam dimittatur.

IV. QUID IN HIBERNIA ESSE DEBERE CENSUERIT BACONUS. — Non eadem quæ in Britannia, in Hibernia obtinere jubet noster : « Quoad jus, in tam barbara, tam vasta regione, populus nullo « modo justitiæ dulcedine frui potest, si *formalis* est (ut fuit « quondam, non magno sine errore). Oportet intervallum esse, « in quo ea sit *summaria*, quoniam decet oportetque paulisper « regionem martialis legis participem esse. » Ideo noster in quaque urbe gubernatorem et judicem esse cupit, qui secundum sanam discretionem judicet, quam proxime legi Anglicæ : quoad dominia, superiorem esse judicem itinerantem; ex utroque ad consilium provinciæ provocari posse (3).

Non aliter de jure condendo Britanniam inter Hiberniamque magnum discrimen a Bacono, satis convenienter sæculo, factum esse animadvertimus. Illud vero ad naturam ipsam rerum spectabat, quæ Hiberniam, armis sæpe comparatam, cum Britan-

(1) Letter to sir G. Villiers.
(2) Ibid.
(3) Letter 58, to Robert Cecil.

nia æquo jure esse non pati videbatur : hoc, de quo nunc agitur, ad tempora, ut, mutatis illis, desiturum esset. Non enim inter regalia jura habitum fuit convenienter legibus a magistratibus lites judicari. Notandum est quoque Baconum, etsi in Hibernia judices secundum sanam discretionem statuere velit, iis tamen suadere ut proxime legi Anglicæ statuant : quod et in omnibus æquitatis judiciis obtinere mihi videtur.

CAPUT SECUNDUM.

De officio Judicis.

De officio judicis ipse in uno ex *Sermonibus fidelibus* (1) disseruit Baconus : quem secuti, quidquid alias ille eadem de re scripsit ad hunc referemus. Hæc sit igitur capitis divisio : « officium judicis relationem habere possit, partim ad litigantes, « partim ad advocatos, partim ad scribas et ministros justitiæ « subtus, partim ad principem vel statum supra. »

I. QUANTUM AD CAUSAS ET LITIGANTES (2). — 1. « In malis optima « conditio est nolle; proxima, non posse (3), » ait noster. Nullus judex officio suo bene fungi potest, nisi qui vult illo bene fungi, id est, qui integer est : « Ante omnia integritas judicum « quasi portio est virtusque propria : *Maledictus sit* (inquit lex) « *qui terminum terræ movet antiquum*. Sane qui lapidem fines « distinguentem transponit, culpa non caret; verum judex in« justus ille est qui præcipue terminos immutat, quum de terris « et rerum proprietate iniquam fert sententiam. Una certe iniqua « sententia plus nocet, quam exempla plurima. Hæc enim rivulos « tantum inficiunt, illa autem fontes. Ita ait Salomon : *Fons « turbatus et vena corrupta est justus cadens in causa sua coram « adversario.* » Non autem integer est qui pecuniam recusat, gratiæ vero obnoxius est : « Judicem decet viam parare ad jus« tam sententiam, qualem Deus parat, *valles exultando*, *colles*

(1) LIV.
(2) Ipsius Baconi vestris utor.
(3) Serm. fid. XI. — De magistratibus et dignitatibus, 2.

« *deprimendo*, eodem modo, quando ex alterutra parte videt « judex manum elatam, veluti in prosecutione importuna, cap- « tionibus malitiosis, combinationibus, patrocinio potentum, « advocatorum disparitate et similibus; tum elucescit virtus « judicis in æquandis iis quæ sunt inæqualia, ut judicium suum « veluti in area plana fundare possit. » Non satis est abesse corruptelam, nisi ipsa quoque absit illius suspicio : « Non solum « manus tui ipsius et tuorum liga, ne munera accipiantur, sed « etiam manus supplicantium, ne ea offerantur. Prius horum « præstat certe, integritas adhibita; verum ea ipsa prædicata « et ex professo, idque cum detestatione corruptelarum, etiam « posterius assequitur. Neque tantum culpam, verum etiam sus- « picionem devita. (1). » Quod ipse utinam nunquam oblitus esset Verulamius!

Optime quidem dixit Plato : « Τοὺς τῇ πατρίδι διακονοῦντάς τι δώρων χωρὶς χρὴ διακονεῖν, πρόφασιν δ' εἶναι μηδεμίαν μηδὲ λόγον ἐπαινούμενον, ὡς ἐπ' ἀγαθοῖς μὲν δεῖ δέχεσθαι δῶρα, ἐπὶ δὲ φλαύροις οὔ (2). Τὸ γὰρ γνῶναι καὶ γνόντα καρτερεῖν οὐκ εὐπετὲς, ἀκούοντα δὲ ἀσφαλέστατον πείθεσθαι τῷ νόμῳ, μηδὲν ἐπὶ δώροισι διακονεῖν. Ὁ δὲ μὴ πειθόμενος ἁπλῶς τεθνάτω ἁλοὺς τῇ δίκῃ (3). Quod de magistratibus dixit Plato, ad judices recte extendendum est : quos includere videtur latissima illa Platonis vox : *quicumque patriæ suæ ministrant*, quum judicare sit publicum munus, publicum officium.

Civis igitur quem judicis officio optime fungi volumus integer sit : quid præterea facere debeat videamus. Non enim clare perspicueque omnibus quid justum sit apparet, ut semper in

(1) De mag. et dign. 3. — Tullius, de Off. 11, 21 : « Caput autem est « in omni procuratione negotii et muneris publici ut avaritiæ pellatur « etiam suspicio. »

(2) Idem defendere solent qui Baconum corruptum judicem fuisse negant. — Lord Macaulay, Essay on lord Bacon, p. 78 et sqq.

(3) De Leg. XII.

promptu sit legitima sententia : veritatis contra inquisitio difficilis et longa est, non solum in legibus condendis, verum et in judiciis ferendis, nec semper, etiam impigre suscepta, bene succedit.

2. Distinguendum utrum judex secundum legem an æquitatem statuere debeat. Et primum secundum legem statuendum esse ponamus.

Secundum legem judicare nihil aliud est atque legem interpretari : « Meminisse debent judices esse muneris sui jus dicere, « non autem jus dare : leges, inquam, interpretari, non con- « dere. »

3 Difficilis est legum interpretatio, ubi eæ incertæ sunt : « Du- « plex legum incertitudo ; altera, ubi lex nulla præscribitur ; al- « tera, ubi ambigua et obscura (1). »

De Casibus Omissis a lege. In his *triplex adhiberi remedium* jubet Baconus, *processum ad similia*, *usum exemplorum*, *jurisdictiones prætorias censoriasque*. Latius quidem patent prætoriæ censoriæque curiæ, quoniam iis non modo supplendum, sed corrigendum quoque jus scriptum censet noster : iis igitur suus locus esse debet.

De Processu ad similia et extensionibus legum (2). Hæc ante omnia servanda est regula : « XI. Ratio prolifica, consuetudo « sterilis esto, nec generet casus : itaque quod contra rationem « juris receptum est, vel etiam ubi ratio ejus est obscura, non « trahendum est ad consequentiam. » Ne tamen idcirco repellatur omnino consuetudo : nihil fit, nisi aliqua de causa : ubi consuetudo est, ibi quoque ratio esse potest, an ibi sit quærendum. Non igitur consuetudo est ratio, rationem vero potest indicare.

« XIII. Durum est torquere leges ad hoc ut torqueant homines.

(1) De Fontibus juris, IX et sqq.

(2) Ib. XI-XX.

« Non placet igitur extendi leges pœnales, multo minus capitales, « ad delicta nova. » Non aliter, in sermone *De officio judicis :* » *Qui fortiter emungit, elicit sanguinem;* quumque torcular vini « premitur fortius, vinum prodit acerbum, acinum sapiens. Ita- « que caveant sibi judices ab interpretationibus legum duris et « illationibus alte petitis : neque enim est pejor tortura, quam « tortura legum. Præcipue in legibus pœnalibus, curæ iis esse « debet, ne, quæ in terrorem latæ sunt, vertantur in rigorem ; « neve in populum superinducant imbrem illum, de quo Scrip- « tura : *Pluet super eos laqueos* (1). Etenim leges pœnales, si se- « vere exsecutioni demandentur, sunt similes imbri laqueorum, « cadenti super populum. Itaque hujusmodi leges, si vel dormi- « verint diu, vel temporibus præsentibus minus quadrent, a ju- « dicibus prudentibus in exsecutione earum exprimantur.

« Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum, etc. »
(Ovid.)

Eodem tendit hoc præceptum : « xv. Statuta quæ manifesto « temporis leges fuere atque ex occasionibus reipublicæ tunc « invalescentibus natæ, mutata ratione temporum, satis habent « si se in propriis casibus sustinere possint : præposterum au- « tem esset si ad casus omissos ullo modo traheretur. » Num ultra ire licet, in casibusque quos ille proprios dicit, lex omnis semper stare potest? Ubi consuetudo inter fontes juris est, interpretari non est modo quærere an quosdam casus regat lex, sed et an illa vigeat adhuc. Non est hoc legem abrogare, quod ad judicis officium non pertinet, imo officio illius omnino est contrarium : hoc est videre an lex usu et tempore sit abrogata,

(1) Cf. A certificate to his Majesty touching the projects of sir St. Proctor relating to the Penal laws : « It is most certain that your people is « so *ensnared* in a multitudine of penal laws, etc. »

quibus nullus magis valet, ad condendum aut ad tollendum jus. Quondam quidem nostro in jure, quanquam judices legum latoris potestatem usurpare sibi vetantur (1), iidem abrogatam esse legem quamdam statuerunt. Sæpius nefas visum est jus scriptum usu abrogari : nil mirum, quum apud nos usu non jus constitui queat.

Non omnia statuta pariter extendi possunt : « XIV. In statutis « quæ jus commune (præsertim circa ea quæ frequenter inci- « dunt et diu coaluerunt) plane abrogant, non placet procedi « per similitudinem ad casus omissos. Quando enim respublica « tota lege diu caruerit, idque in casibus expressis, parum « periculi est si casus omissi exspectent remedium a statuto « novo. » Jam distinguendum esse mihi videtur quæ abrogata fuerint, quæ omissa. Quod si utrisque aut nihil aut fere nihil est commune, omnino probandum est Verulamii præceptum : si utraque inter se ante novum statutum ita connexa essent, ut, his abrogatis, illa stare nullo modo posse viderentur, quid voluerit legumlator, non quid scripserit considerandum est.

« XVII. In legibus et statutis brevioris styli extensio facienda « est liberius; at in illis quæ sunt enumerativa casuum particu- « larium, cautius : Nam ut exceptio firmat vim legis in casibus « non exceptis, ita enumeratio infirmat eam in casibus non « enumeratis. » Ideo, in libro *de Jure Condendo*, quam caute adhibendæ sint aut exceptiones aut enumerationes, auctore eodem Verulamio, diximus.

« XVIII. Statutum explanatorium claudit rivos statuti prioris « nec recipitur postea extensio in alterutro statuto. Neque enim « facienda est superextensio a judice, ubi semel fieri cœpit « extensio a lege. » Interpretationem statuti prioris cessare confiteor : alterum autem eam admittere mihi videtur. Quid

(1) C. Nap. art. 4.

enim, si in altero casus unus omissus fuerit? Ne in priore quidem omnino excludi eam velim. Utrumque enim statutum inter se ita connexum est ut unius formam vimque habeat, nec aliter habendum est atque una lex. Valde quidem timeo ne Baconus arctioribus vinculis ligatos judices, qui secundum legem statuere debent, voluerit, quia æquitatis curias esse jusserit.

« XIX. Solemnitas verborum et actorum non recipit extensionem ad similia. Perdit enim naturam solemnis, quod transit a more ad arbitrium: et introductio novorum corrumpit majestatem veterum. » Optime quidem; non enim solemnia verba et acta pro nugis explodenda sunt: quibus plerumque inest vel maxima utilitas. Nunc enim inde fit ut aliquid omnibus notum sit, nunc ut protegantur quædam personæ.

Cavendum ne ad remotiores casus extendantur statuta: « XVI. Consequentiæ non est consequentia; sed sisti debet extensio intra casus proximos : alioqui labetur paulatim ad dissimilia et magis valebunt acumina ingeniorum quam auctoritates legum. » Non enim priori consequentiæ eadem esse debet auctoritas quæ legi, sed ipsa aliquid dubii habet: multo major in posteriore dubitatio oritur. Fit quoque sæpe ut prudentes falsum principium, quod falsas consequentias pariat, scriptis legibus adæquare non dubitent.

Quondam extendantur leges necesse est : « XX. Proclivis est extensio legis ad casus postnatos qui in rerum natura non fuerunt tempore legis latæ. Ubi enim casus exprimi non poterat, quia tunc nullus erat, casus omissus habetur pro expresso, si similis fuerit ratio. » Quod si *postnatus* ille casus nulli veteri germanus sit, ex arbitrio boni viri statuendum.

Quid autem si vetus quidam casus ad judicem deferatur, cui nullus sit in lege germanus, ut ad similem procedi nullo modo

queat? « Casus, cui nullus est germanus, ait noster (1), hinc « spurius esse, non legitimus videtur. »

De exemplis et usu eorum (2). Consuetudinem quæ *legis species* est, et exempla *quæ per frequentem usum in consuetudinem transierunt, tanquam legem tacitam*, omittit Baconus, de iis alio loco dicturus : desideratur autem *de consuetudine* liber ; vix eam noster attigit in scriptis. Consuetudini cuidam ex quatuor rebus dignitatem accedere putat : « Quod vetus illa sit, non recens : quod auctoritatem habeat, « non popularis, non vulgaris sit : quod, omnibus valentibus, « in vigore esse cœperit, nunquam interrupta, nunquam liti« giosa ; quod, ubi res in quæstione fuit, semel saltem *judicio « controverso* confirmata sit (3). » Ne tamen consuetudo superet legem : « Regula hæc sana planaque obtinet quod, ubi lex « appareat contraria, ei obstare consuetudo nequeat; quæ mi« nime regulam istam, *optima legum interpres consuetudo*, lædit ; « consuetudo enim legem interpretari potest, quanquam eamdem « superare non potest (4). »

Jam ad exempla sparsa revertamur. Unde sint petenda optime docet Baconus : « XXII. Exempla a temporibus bonis et moderatis « petenda sunt, non tyrannicis aut factiosis aut dissolutis. Hu« jusmodi exempla temporis partus spurii sunt et magis nocent « quam docent.» Non enim juris exempla trahenda sunt a temporibus istis quibus, ut ait Tullius, « non jus esse visum est in foro, « neque judicia, sed vis et crudelitas et bonorum acerba atque « indigna direptio, » ubi homines plus quam leges potuere. Imo quodcumque tunc factum est, quasi injustum, fugiendum, et

(1) The jurisdiction of the marches.
(2) XXI-XXXI, De Fontibus juris.
(3) The jurisdiction of the marches.
(4) Ibid., in fine.

8

exempla, si quæ inde veniant, defendenda sunt, nedum defendant.

« XXIII. In exemplis recentiora habenda sunt pro tutioribus. « Quod enim paulo ante factum est, unde nullum sit sequutum « incommodum, quidni iterum spectatur? » Hic parum sibi constitisse Baconus mihi videtur, qui dixit: « Sed tamen minus « habent auctoritatis recentia. Et si forte res in melius restitui « opus sit, recentia exempla magis sæculum suum sapiunt « quam certam rationem. » Quid igitur? Distinguendum: inter exempla, tanquam inter leges, pars ad tempus, pars ad perpetuum condita est. Quod ad illam attinet, tuam ætatem; quod ad hanc, priorem considera.

« XXIV. At vetustiora exempla caute et cum delectu recipienda: « decursus siquidem ætatis multa mutat, ut quod tempore « videatur antiquum, id perturbatione et inconformitate ad « præsentia sit plane novum. Medii itaque temporis exempla « sunt optima, vel etiam talis temporis quod cum tempore « currente plurimum conveniat: quod aliquando præstat remo- « tius, magis quam in proximo. »

« XXX. Exemplum quod ætas contemporanea aut proxima res- « puit, quum casus subinde recurreret, non facile admittendum « est. Neque enim tantum pro illo facit quod homines illud quan- « doque usurparunt, quam contra quod experti reliquerunt. »

Non autem omnia sunt audienda quæ exempli dignitatem usurpare conantur: « XXV. Intra fines exempli vel citra potius se co- « hibeto nec illos ullo modo excedito. Ubi enim non adest « norma legis, omnia quasi pro suspectis habenda sunt; itaque, « ut in obscuris, minimum sequitor. » Non aliter supra: « Conse- « quentiæ non est consequentia. » Multo magis vitanda exempli consequentia. Exemplum enim plerasque mentes magis perstringit quam consequentia, quod et ad oculos et ad aures venit: quanquam juris dubitationem includit, nihil facto certius esse multi reputant.

« XXVI. Cavendum ab exemplorum fragmentis et compendiis : « atque integrum exemplum et universus ejus processus intro- « spiciendus. Si enim incivile sit, nisi tota lege perspecta, de « parte ejus judicare, multo magis hoc valere debet in exemplis, « quæ ancipitis sunt usus, nisi valde quadrent. » Apud prudentes Romanos, facile apparet quantum inter se differant casus, specie omnino germani. Interrogati igitur interrogare ipsi solent ut tota ante oculos habeant exempla : quam multa distinguenda sint fere incredibile est.

Non omnibus exemplis eadem inest auctoritas. « XXVII. In « exemplis plurimum interest per quas manus transierint et « transacta sint. Si enim apud scribas tantum et ministros jus- « titiæ, ex cursu curiæ, absque notitia manifesta superiorum « obtinuerint, aut etiam apud errorum magistrum populum, « conculcanda sunt et parvi facienda. Sin apud senatores aut « judices aut curias principales ita sub oculis posita fuerint ut « necesse fuerit illa approbatione judicum, saltem tacita, mu- « nita fuisse, plus dignationis habent. » — « XXVIII. Exemplis « quæ publicata fuerint, utcumque minus fuerint in usu, quum « tamen sermonibus et disceptationibus hominum agitata et ven- « tilata exstiterint, plus auctoritatis tribuendum : quæ vero in « scriniis et archivis manserunt tanquam sepulta et palam in « oblivionem transierunt, minus : exempla enim, sicut aquæ, « in profluente sanissima. » Non exempla quidem a populo petenda, ista vero coram populo nata esse optandum : iis nescio quid legitimi inest. Ea enim certa notaque omnibus esse maximi refert, ne improvisi homines istis teneantur.

Quomodo servata sint exempla operæ pretium est considerare : « XXIX. Exempla quæ ad leges spectant non placet ab historicis « peti, sed ab actis publicis et traditionibus diligentioribus. Ver- « satur enim infelicitas quædam inter historicos vel optimos, ut « legibus et actis judicialibus non satis immorentur, aut, si forte « diligentiam quamdam adhibuerint, tamen authentici longe va-

« rient. » Jure quidem historicos increpuit Baconus qui placendi potius quam docendi causa scribere soliti erant; ne ab æqualibus quidem nostris, quanquam omnia multo fidelius referre iis cordí est, sumenda sunt exempla juris : non eadem, quæ in jure, in historia valent, et, quasi levia, multa negliguntur, quibus deficientibus, parum auctoritatis habent exempla.

Quo autem ista exemplorum auctoritas tendat considerandum est : « XXXI. Exempla in consilium adhibentur, non utique ju-« bent aut imperant. Igitur ita regantur, ut auctoritas præteriti « temporis flectatur ad usum præsentis. »

Apud veteres quidem plurimum valuere exempla, necnon ibi valere solent ubi paucæ leges scriptæ sunt : quod illæ vacuum relinquunt, id leges non scriptæ occupant, quorum pars est non minima, exempla. Ubi autem plurimæ leges vigent et præsertim ubi in unum Corpus digestæ sunt, jam argumentis ante omnia, ne dicam unice, opus est; exempla non omnino abjicienda, sed iis illustrari solent potius quam adjuvari orationes.

De obscuritate legum. « LII. Obscuritas legum a quatuor rebus « originem ducit : vel ab accumulatione legum nimia, præ-« sertim admixtis obsoletis; vel descriptione earum ambigua « aut minus perspicua et dilucida; vel a modis enucleandi « juris neglectis aut non bene institutis vel denique a contra-« dictione et vacillatione judiciorum. »

Accumulatis legibus, non indicat Verulamius qui expediatur judex, nisi a legum latore, nova legum digesta condente. Postquam condita sunt digesta, prisca juris monumenta deleri vetat noster, recte quidem, et « in causis gravioribus legum præteri-« tarum mutationes et series consuli et inspici » jubet (1).

« LXXI. Hanc partem de incertitudine legum quæ ex mala des-« criptione ipsarum ortum habet, fusius tractabimus quando de

(1) LXIII.

« interpretatione legum postea agemus.» Deest quidem de interpretatione liber, nec alias apud Baconum ista de parte juris quidquam reperire est : hic modo legum latorem qui fugiendum sit vitium in jure condendo docuit.

Restant igitur modi enucleandi juris et vacillatio judiciorum.

a. *De modis enucleandi juris et tollendi ambigua* (1). Quinque modos ait esse Baconus, scilicet, perscriptiones judiciorum, scripta authentica, libros auxiliares, prælectiones, responsa prudentum. Ex quibus tres tantum ad officium judicis attinent, perscriptiones judiciorum, scripta authentica responsa prudentum, duo ad jus docendum, libri auxiliares prælectionesque. Perscriptiones autem judiciorum ipsorum ipse confitetur Baconus nihil aliud esse præter scripta authentica (2).

De scriptis authenticis. « LXXXII. Ex legibns ipsis quæ jus com-« mune constituunt, deinde ex constitutionibus sive statutis, « tertio loco ex judiciis perscriptis corpus juris tantummodo « constituitor. Præter illa, alia authentica aut nulla sunto aut « parce recipiuntor. »

De legibus, de statutis nihil est addendum : de perscriptione judiciorum disserit Baconus : « LXXIII. Ante omnia, judicia red-« dita in curiis supremis et principalibus atque causis graviori-« bus, præsertim dubiis, quæque aliquid habent difficultatis aut « novitatis, diligenter et cum fide excipiunto. Judicia enim an-« choræ legum sunt, ut leges reipublicæ. — LXXIV. Modus hujus-« modi judicia excipiendi et in scripta referendi talis esto : casus « præcise, judicia ipsa exacte præscribito ; rationes judiciorum, « quas adduxerunt judices, adjicito ; casuum ad exemplum ad-« ductorum auctoritatem cum casibus principalibus ne commis-« ceto : de advocatorum perorationibus, nisi quidpiam in iis

(1) LXXII et sqq.
(2) LXXVII.

« fuerit admodum eximium, sileto. — LXXV. Personæ quæ « hujusmodi judicia excipiant ex advocatis maxime doctis « sunto et honorarium liberale ex publico excipiunto. Judices « ipsi ab hujusmodi perscriptionibus abstinento, ne forte opi- « nionibus propriis addicti et auctoritate propria freti, limites « referendarii transcendant. — LXXVI. Judicia illa in ordine « et serie temporis digerito; non per methodum et titulos sunt « enim scripta hujusmodi, tanquam historiæ aut narrationes « legum. Neque solum acta ipsa, sed et tempora ipsorum judici « prudenti lucem præbent. »

Scripta authentica et apud Britannos, et si qua Bacono fides, ligant judicem. Judicio lato, de quæstione, omnis in futurum tollitur dubitatio, non minus quam lege condita. Baconus in gravioribus causis tantum præscribi judicia jubet, ne immensa mole eorum obruatur jus Britannicum : « Nihil, ut ait, tam « interest certitudinis legum quam ut scripta authentica intra « fines moderatos coerceantur, et facessat multitudo enormis « auctorum et doctorum in jure (1). » Vix « glossam aliquam « bonam » patitur et « scriptorum paucorum pauculas por- « tiones. »

De responsis et consultis. Illa aut a prudentibus aut a judicibus ipsis peti possunt. Prudentes consuli solent. Romæ, si forte in unum consensissent omnes, magistratui ab illorum sententia recedere non licuit; imo ita valuit prudentum auctoritas, ita judices rudes crassique evasere ut illis non leges, non rescripta consulenda edixerit Theodosius, sed unice quærendum quid statuissent quinque scriptores, Gaius, Papinianus, Paulus, Ulpianus, Modestinus : quod si omnes idem respondissent, nil facilius; quod si inter se pugnarent, majoris partis amplectendam sententiam; si duo aut quatuor tantum de causa disputa-

(1) LXXVIII.

vissent, ex quibus Papinianus, penes illum, quasi curiæ præsidem, judicium. Baconus vetat tantam vim responsis prudentum esse; sed quoniam « durum est ut ii qui ab errore cavere « cupiant ducem viæ non inveniant (1), » *jura a juratis judicibus sumenda* declarat: « Tentari judicia per causas et personas « fictas » non patitur; « judicia aliquid habere ex scena de- « forme est. » Sic igitur consulendos judices censet: « Ea con- « sulta, sive in privatis rebus, sive in publicis, a judicibus « ipsis ne poscito (id enim si fiat, judex transeat in advoca- « tum), sed a principe aut statu. Ab illis ad judices deman- « dentur. Judices vero, tali auctoritate freti, disceptationes « advocatorum vel ab his quorum interest adhibitorum, vel a « judicibus ipsis, si opus est, assignatorum, et argumenta ex « aliqua parte audiunto, et, re deliberata, jus expediunto et « declaranto. Consulta hujusmodi inter judicia referunto et « eduntо, et paris auctoritatis sunto. »

Quæ sit ista auctoritas nobis compertum est. Judicia omnia inter scripta authentica referenda sunt. Baconus quidem, tanto amore instituta patriæ suæ amplexus, nimium judiciis et responsis, judiciorum similibus, dedit : nihil aliud est judicium quam sententia uno de casu lata, quæ, nisi inter partes, legis auctoritatem non debet obtinere. Sin autem, et judicibus conceditur juris condendi facultas, et in immensum augeatur juris corpus necesse est : quod utrumque leges in incerto esse facit, novasque difficultates parit, nedum veteres resolvat.

Ne quis libros auxiliares prælectionesque nullo modo usui judicibus esse reputet. Non autem illi cum officio judicis potius quam advocati junguntur : latius vero patent, uptote qui ad jus docendum pertineant.

b. *De vacillatione judiciorum.* Illam quartam esse causam

(1) LXXXIX et sqq.

obscuritatis legum affirmat noster : quid vero ? nonne illa potius ex obscuritate legum, quam legum obscuritas ex illa consequi videtur ? Sane diversa judicia quia incertæ leges, non incertæ leges quia diversa judicia. Baconus vero judicia legibus æquata vult, utrisque pariter judices ligatos similibus in causis. Optima tamen ille præcepta dat, et quæ, ubi judicia nihil aliud quam judicia sint, unamque causam amplectantur, prodesse possint.

« XCIV. Vacillant judicia vel propter immaturam et præfestinam « sententiam, vel propter æmulationem curiarum, vel propter « malam et imperitam perscriptionem judiciorum, vel propter « viam præbitam ad revisionem eorum nimis facilem et expe- « ditam. Itaque providendum est ut judicia emanent, matura « deliberatione prius habita, atque ut curiæ se invicem reve- « reantur, atque ut judicia perscribantur fideliter et prudenter, « utque via ad rescindenda judicia sit arcta, confragosa et tan- « quam muricibus strata. »

« XCV. Si judicium redditum fuerit de casu aliquo in aliqua « curia principali et similis casus intervenerit in alia curia, ne « procedito ad judicium antequam fiat consultatio in collegio « aliquo judicum majore. Judicia enim reddita si forte rescindi « necesse sit, saltem sepeliuntor cum honore. » Præceptum hoc Bacono et Britanniæ relinqui potest : non enim rescinditur judicium, si in contrarium simili de casu fertur sententia, sed si de eodem : hic rescindere judicium fere æque sonat atque legem abrogare ; non igitur nisi collegio majori judicum tanta potestas permittitur.

« XCVI. Ut curiæ de jurisdictione digladientur et conflictentur « humanum quiddam est, eoque magis quod per ineptam quam- « dam sententiam : *quod boni et strenui sit judicis ampliare ju- « risdictionem curiæ*, alatur plane ista intemperies, et calcar « addatur ubi freno opus est. Ut vero, ex hac animorum conten- « tione, curiæ judicia utrobique reddita (quæ nil ad jurisdictio- « nem pertinent) libenter rescindunt, intolerabile malum et a

« regibus aut senatu aut politia plane vindicandum (1). Pessimi « enim exempli res est, ut curiæ quæ pacem subditis præstant « inter se duella exerceant.

« XCVII. Non facilis esto aut proclivis ad judicia rescindenda « aditus per appellationes, aut impetitiones de errore (2), aut « revisus, et similia. Receptum apud nonnullos est ut lis trahatur ad forum superius, tanquam res integra, judicio inde « dato seposito et plane suspenso ; apud alios vero ut judicium « ipsum maneat in suo vigore, sed exsecutio ejus tantum cesset. « Neutrum placet, nisi curiæ in quibus judicium redditum « sit, fuerint humiles et inferioris ordinis ; sed potius ut et « judicium stet et procedat ejus exsecutio : modo cautio de- « tur a defendente de damnis et expensis, si judicium fuerit « rescisum. »

Pleræque regulæ istæ apud nos obtinent.

4. *De curiis prætoriis et censoriis.* Quare illas creandas censuerit Baconus diximus : nunc quomodo munere suo fungi debeant operæ pretium est considerare.

Curiarum prætoriarum est civile jus aut supplere aut corrigere : ne id destruant periculum est. Quod ipse Baconus suspicatus hoc ante omnia curavit ne omnino libera potestas secundum æquitatem decernendi illis permitteretur : « XLII. Cavendum « in primis ne in curiis prætoriis præbeatur auxilium in casibus

(1) Cf. Letter 128, to the king, of the Chancery and king's bench : « Two things I wish to be done, the one that your Majesty take this « occasion to redouble unto all your judges your ancient and true « charge and rule, that you will not endure no innovating the point of « jurisdiction, but will have every court impaled within their own « precedents and not assume to themselves new powers upon concerts « and inventions of law. »

(2) Impetitio erroris (*writ of error*) provocatio fuit ad curiam dominorum, qua deferebatur sententia : pro vero quidem accipiebatur quod de facto judicatum erat, nonnisi de jure coram dominis disputabatur.

« quos lex non tam omisit quam pro levibus contempsit, aut « pro odiosis remedio indignos judicavit. » Hic apparet quam periculosum sit prætorias curias creari : quomodo enim illæ scient casus quosdam a lege pro levibus contemptos, aut, pro odiosis, remedio indignos judicatos, nisi legem interpretentur? jam ordo judiciorum confunditur, nec potest non confundi. Malo quidem præceptum sequens : quid voluerit lex quærere interpretationem sapit : statuta expressa servare facillimum est : « XLIII. Maxime omnium interest certitudini legum (de qua nunc « agimus) ne curiæ prætoriæ intumescant et exundent in tan- « tum, ut prætextu rigoris legum mitigandi etiam robur et ner- « vos iis incidant aut laxent, omnia trahendo ad arbitrium. — « XLIV. Decernendi contra statutum expressum, sub ullo æqui- « tatis prætextu, curiis prætoriis jus ne esto. Hoc enim si « fieret, judex prorsus transiret in legislatorem atque omnia ex « arbitrio penderent. » Cujus autem sit intra justos fines æquitatis curias continere non docet noster. Sane hic quoque « intolerabile malum a regibus aut a senatu aut politia plane « vindicandum censuit. »

Hoc solere fieri diximus in æquitatis curiis, quod leges quasdam sibi ferant, certas et constantes, quæ arbitrio ipsarum minus relinquant. Non enim modo, quoniam jus corrigere queunt, ne illud destruant periculum est; verum, quoniam ipsis ex arbitrio boni viri, non ulla ex lege, nisi ex illa æquitatis, tam varia, statuere licet, cavendum ne, destructo jure, nullum in ejus locum substituant : quod non possit fieri, sine magno civium detrimento; Baconus igitur : « XLVI. Non sine « causa in usum venerat apud Romanos album prætoris, in « quo præscripsit et publicavit quomodo ipse jus dicturus « esset. Quo exemplo judices, in curiis prætoriis, regulas sibi « certas (quantum fieri potest) proponere easque publice affigere « debent. Etenim optima est lex quæ minimum relinquit arbitrio « judicis : optimus judex, qui minimum sibi. »

Omnia ista in philosophico libro : eadem et alia in oratione qua usus est noster, æquitatis curiam primum ingressus (1) : « Jussa illa quibus me ipsum et meum tempus tantummodo « astringo, nullo modo obstent auctoritati curiæ aut sapien- « tium virorum qui in meam vicem succedent... Sunt *tanquam « album prætoris;* non aliter atque Romani prætores (quibus « simillimus est Cancellarius), inito magistratu, quo pacto jus « dicturi essent docebant. » Jussa illa sua servavit Baconus (2), quæ sapientissima sunt legibusque nostris pleraque proxima.

Juri civili simul ille consulit : « Cavendum ne curia amplec- « tatur aut retineat causas, quæ, sive ad materiam, sive « ad facta attendis, juri communi relinquenda sunt, » polliceturque sese orationes auditurum, eo tendentes ut illæ a curia dimittantur.

Nonnulla addit noster quæ juris Britannici propria sunt, referenda tamen videntur, quia inde apparet quo modo ordinatæ sint æquitatis curiæ, non in philosophi scriptis, sed in republica.

Cancellarius non modo in causis ad se allatis jus mutare potuit, sed et judicia ex lege lata ex æquitate corrigere. Inde fit ut jam non satis auctoritatis habeant judicia, quum rescindi possint, quanquam legi consentanea. Baconus igitur (3) in illis causis se nihil dicturum quod judicia rescindere videatur, sed tantum correcturum partium corruptam conscientiam, imperata restitutione aut si quid aliud reposcat æquitas, pollicetur. Non satis. Qui rem judicatam deferat ad cancellarii curiam eum satisdare ante omnia jubet noster (4), ut nullum legitimum judi-

(1) The effect of that which was spoken by the lord Keeper of the great seal of England at the taking of his place in Chancery.

(2) Ordinances in Chancery.

(3) Ordinances in Chancery, 34.

(4) The effect, etc.

cium ex æquitate rescindi possit, nisi actor sit *tanquam in vinculo*.

Jam, ut solent quicumque magistratum ineunt, nullum est vitium quod non a se correctum iri jactet Verulamius. Mos fuit in ambiguis causis sententiam ad tempus statim ferre, dum res in quæstione esset : quem non increpat ille : « Nam quicumque « non prudentior est ex consilio quam ex improviso, neque ille « est prudentior quinquaginta quam triginta annos natus... Sed « sæpe evenit ut postea e memoria judicis laberetur causa et « rursus oranda esset longo post tempore... Ego quidem, « paucos dies post auditam causam, decretum faciam. »

Restant *injunctiones*, quas libenter cum Romanis interdictis conferam (1). Prætor enim non tantum jurisdictionem habuit, sed quum penes eum esset imperium mixtum, quædam imperare, quædam prohibere poterat. Non aliter cancellario *injunctiones* permissæ fuerunt. Imo iisdem de rebus *injunctiones* atque interdicta obtinuere, præcipueque ad possessionem tuendam adhibita sunt. « Quoad *injunctiones* de possessione, iis servabo « possessionem quibus illa fuerit, et lite contestata, et totum « annum ante, nisi quis aut vi aut dolo possidere cœptus « erit (2). » Nonnulli autem injunctionibus abuti conabantur, iis impetratis, causam trahentes : « Dormientibus autem pulvi- « num durum *injunctiones* faciam; si enim actor cessat, ubi « expergiscetur, non modo rescisam injunctionem, sed et sese « victum sentiet. »

In libro *de Fontibus juris* ne curiæ prætoriæ uni viro committantur suadet. Britannicus vero cancellarius in sua curia unus

(1) M. Laboulaye, *Etudes sur la Propriété littéraire en France et en Angleterre*, p. 68, easdem cum nostris *référés* confert; nostri vero *référés* sententiis illis ad tempus latis potius similes esse mihi videntur.

(2) Cf. Interdicta unde vi, etc.

sedebat, non aliter atque prætor, assistentibus prudentibus, si quos ad se vocaret : « Si a mea sententia qui mihi assident « abhorrere videntur, quanquam totam judicandi potestatem in « me esse non nescio, oraculum regis ipsius ante poscam quam « judicem. » Hoc parum esse sentit, qui penes unum virum ullo modo tantam potestatem esse vetat : potius est tamen quam ex arbitrio judicis omnino res pendere.

Magna quidem ac terribilis curiis censoriis datur potestas : qua ne abutantur cavendum est : ideo Baconus hinc quasdam pœnas ab illis ferri vetat, illinc eas hoc declarare sinit quod res non liqueat : « XXXIX. Rubricæ sauguinis ne sunto; nec de capita- « libus, in quibuscumque curiis, nisi ex lege nota et certa, « pronuntiato. Indixit enim mortem Deus ipse prius : postea « inflixit. Nec vita eripienda nisi ei qui se in suam vitam pec- « care prius nosset. » Optime, si in via quam ingressus sit, homini sistere liceat : curias censorias creari ratio non patitur, quia iniquum est pœnas exigi nisi a lege, nec minus iniquum aliquem pecunia quam capite damnari : ubi rationem læseris in levioribus causis, eadem in gravioribus lædatur necesse est : nec, ut reor, si nunquam ulla pœna nisi a lege edicta repeti potuisset in Anglia, tot privatæ leges latæ essent, per quas capite multarentur, silente communi lege, cives.

« XL. In curiis censoriis calculum tertium dato, ut judicibus « non imponatur necessitas aut absolvendi aut condemnandi, « sed etiam ut *non liquet* pronuntiare possint. » Idem ab Hippodamo Milesio latum esse refert Aristoteles (1).

« Etiam censoria non tantum pœna, sed et nota esto; scilicet « quæ aut infligat supplicium, sed aut in admonitionem desinat, « aut reos ignominia levi et tanquam rubore castiget. » Notam quidem efficacissimam Romæ fuisse fertur, quia juris civilis

(1) Pol. lib. II, c. 5.

pars quædam erat existimatio neque suo in statu manere solebat qui notabatur; apud recentiores non eam esse reor quæ multum valeat.

Non autem curias censorias, tanquam prætorias, hic hortatur Baconus ut sibi regulas certas ponant : attamen non minus utile est. Ipsum igitur apud Baconum reperias edictum quoddam a Camera stellata de duello, rogante illo, factum : « (Camera stel-« lata) promittit insuper omnem atturnato-generali his in ca-« sibus opem ; atque in se suscipit omnium, qui aliqua injuria « afficiuntur, injuriam et ignominiam; utpote exsecrans duella « omnia quæ nunc fiunt et diversa sunt ab iis quæ permiserunt « Anglicanæ leges, in justitiæ examen et documentum (1). » Non noster in *Sermonibus fidelibus* (2) scribere dubitavit : « Contende « ut quæ agis pro potestate tanquam regulis quibusdam cohi-« beantur, ut hominibus tanquam digito monstres quid illis sit « exspectandum : neque tamen nimium sis pertinax aut peremp-« torius, atque semper, quum a regula recesseris, quid sit quod « agas diligenter expone. » Non distinguitur utrum prætoria an censoria sit curia, utrum de pœnis an de jure civili edenda edicta.

5. Quædam judicum omnium communia sunt, et horum qui ex æquitate, et illorum qui ex lege statuunt. Quorum in mentionem incidit noster, seu de his, seu de illis locutus : « Sunt (in-« quit Scriptura) qui *judicium vertunt in absinthum;* sunt etiam « certe qui illud vertunt in acetum : injustitia enim illud reddit « amarum, mora acidum (3). » Supra vidimus quantum accurate se cauturum polliceatur Baconus ne, magno cum detrimento partium, trahantur causæ. Numquam non questi sunt cives infi-

(1) Oratio contra Duellum. Decretum sequitur.
(2) De Magistr. et Dign., 2.
(3) De Off. judicis, 3.

nitas esse lites, et Jacobus I filium hortatus est ut eas breviores faceret (1); ipse per Baconum a curiis ne res in longum duci paterentur petiit (2).

Ubi sententia ferenda est, an dolo aliquid factum sit judices considerare debent : « Judex strenuus hoc præcipue agit ut vim « et dolos compescat; quorum vis magis perniciosa est, quanto « apertior : dolus quanto tutior et occultior. Adde etiam lites con- « tentiosas, quæ evomi debent, ut crapula curiarum. » Scilicet *litibus contentiosis* aliquis dolus semper inesf.

Tandem, satis convenienter Britannicis institutis, noster coram omnibus jus dandum declarat. Ideo ab Elizabetha regina interrogatus num probaret causam quamdam coram judicibus ad id lectis orari (3), respondit : « Nihil includi probo, præsertim jus- « titiam. » Item : « Nec decreta prætoriarum et censoriarum cu- « riarum exeant cum silentio; sed judices sententiæ suæ rationes « adducant idque palam atque astante corona : ut quod ipsa po- « testate sit liberum fama tamen et existimatione sit circumscrip- « tum (4). » Animadvertatur hic nostrum imperare ut « judices « sententiæ suæ rationes adducant; » non aliter in perscriptione judiciorum, « rationes judiciorum quos adduxerunt judices » scribi jubet. Ubi enim palam jus datur, populus, ut ita dicam, judex supremus est, cui probanda sententia. Quanto arctius ligatur judex qui non modo secundum legem aut æquitatem statuere debet, sed et sese ex alterutra statuisse omnibus probare cogitur! Nihil est quod magis et libertati civium et æquitati judicum et auctoritati judiciorum faveat : ubi illis consulitur, publica sint judicia necesse est.

(1) Βασιλικὸν Δῶρον, Sda pars.

(2) A frame of declaration for the master of wards at his first setting.

(3) Apophtegms, 100 : « After he had been vehement in Parliament « against depopulation and inclosures. »

(4) De Font. juris. XXXVIII.

II. QUANTUM AD ADVOCATOS. — « Quantum ad advocatos qui « causas agunt, patientia et gravitas in causis audiendis justitiæ « est pars essentialis et judex nimium interloquens minime est « cymbalum bene sonans (1). » Non aliter apud nos magistratus quidam collegas suos nuper hortatus est ut sese quum erga reum, tum erga advocatum modestos, id est patientes (ut Baconiana voce utar) gravesque præstarent (2).

« Judicis partes in audiendo sunt quatuor : probationum se- « riem ordinare : advocatorum et testium prolixitatem, repeti- « tionem, aut sermones extra rem moderari : eorum quæ alle- « gata sunt medullam et quæ majoris momenti sunt recapitu- « lare, seligere et inter se componere, et demum sententiam ferre. « Quidquid ultra hæc est nimium est, et oritur aut a gloriola et « loquendi aviditate, aut ab audiendi impatientia, aut a memo- « riæ debilitate, aut a defectu attentioniis sedatæ et æquabilis. » Etenim, uti paulo supra dicitur, « non laudi est judici, si pri- « mus aliquid in causa inveniat aut arripiat, quod ab advocatis, « suo tempore, melius audire potuisset; aut acumen ostentet in « probationibus vel advocatorum perorationibus nimis cito in- « terrumpendis; aut anticipet informationes quæstionibus, licet « ad rem pertinentibus. »

Salibus causas inspergere non debet judex, nedum advocatos conviciis lædere jure queat. Baconus ipse, dum advocatus fuit, non a judice, sed ab atturnato-generali, id est magistratu, sæpe vexatus fuit : de quo apud ipsum amare questus est : « Domine « atturnate, optimum esse mihi videtur te scire plane quid de « te sentiam et quid de me sentire possis. Eo licentiæ procedis « ut semper in doctrinam, usum, prudentiam meam inveharis...

(1) De Off. jud., 4.

(2) M. Chaix d'Est-Ange, procureur-général à la cour impériale de Paris; discours de rentrée; 1858.

« Scio quantum et mihi ipsi et aliis desit, et forsan proficio dum « alii sistunt. Nullo modo pati possum me coram omnibus vexari, « nihil respondentem quod mihi prosit meaque illustret (1). » Atturnatus ille fuit Eduardus Cokius, quocum tales inimicitias gessit Verulamius.

« Sæpenumero mirum est visu quantum advocatorum audacia « apud judices valeat, ubi contra judices ad imitationem Dei « (in cujus tribunali sedent) *superbos comprimere et humiles « erigere* deberent. » Timeo equidem et vehementer timeo ne *superbos comprimere et humiles erigere* inter illa divina munera sit, quæ homo mirari debet, imitari nequit : judices certe nondum omnes illud sibi arrogaverunt.

Illa ad gravitatem : hæc ad integritatem pertinent : « Etiam- « nunc magis mirum est judices advocatis quibusdam præ cete- « ris immoderate et aperte favere : quod necesse est ut merces « advocatorum augeat et multiplicet, atque simul suspicionem « corruptionis et obliqui ad judices aditus inducat. »

Ne quis tamen existimet, quia advocatum vexari nefas, illum reprehendi, aut quia ei faveri nefas, laudari non posse : « Debe- « tur advocato a judice laus aliqua et commendatio, quum « causæ bene aguntur et tractantur ; præsertim si causa sua « cadat : hoc enim apud clientem existimationem advocati sui « tuetur et simul opinionem ejus de causa sua prosternit. Debe- « tur etiam reipublicæ reprehensio advocatorum moderata, ubi « callida nimis præstant consilia, aut supina apparet negligen- « tia, aut levis informatio, aut indecora importunitas, aut im- « pudens defensio. »

Defensioni autem, ante judicium latum, et lato judicio par, diversis de causis, reverentta debetur : « Advocatus autem tribuat « judici ne illi obstrepat aut se rursus in causam agendam cal-

(1) Letter LXXXV, to sir Edw. Coke, attorney-general.

« lide insinuet, postquam judex de re pronuntiaverit. E contra- « rio autem judex se causæ mediæ et nullatenus peroratæ non « ingruat : nec clienti occasionem præbeat, ut advocatos suos vel « probationes ad plenum non auditas conqueratur. »

III. QUANTUM AD SCRIBAS ET MINISTROS. — « Sedes justitiæ ve- « luti locus sanctus est, ubi non tantum sedes ipsa, sed et sub- « sellia et præcinctus sedis scandalo et corruptelis vacare de- « bent (1). »

« Curiarum asseclæ pravi sunt quatuor; primo seminatores « litium, qui curias tumescere faciunt, populum tabescere; se- « cundo qui curias contentionibus circa jurisdictionem impli- « cant, neque vere sunt (ut habentur) amici curiæ, sed parasiti « curiæ, curias inflando ultra terminos, propter micas et com- « pendia propria; tertio, ii qui possunt censeri tanquam curia- « rum manus sinistræ : homines qui curiarum processus legiti- « mos diverticulis et versutiis distorquent, justitiamque in lineas « obliquas et labyrinthos trahunt; quarto, expilatores et exac- « tores feodorum, qui tritam similitudinem confirmant curiarum « ad rubum, quo, dum ovis, tempestatem fugiens, se recipit, « velleris partem amittit. Contra scriba antiquus, in anteactis « curiarum peritus, in actis ipsis concipiendis cautus et in nego- « tiis curiæ solers, digitus est curiæ egregius et sæpe judici ipsi « viam monstrat. »

Num recte laudetur a Bacono *scriba antiquus* nescio : valde timeo ne unice, quia antiquus, laudandus esse visus sit. Nunquam non questi sunt litigantes a scribis trahi lites et exhauriri fortunas suas : etenim tam facile est viris legum peritis rudes, quasi impeditos, et morari, et expilare ut illos abstinentes esse fere nemo arbitretur. Non enim, uti judices, munere suo illi coram populo, supremo judice, fungi queunt; neminem, præter

(1) De Off. jud., 5.

judicem, supra se habent. Illius est igitur providere ne solertia in astutiam vertat neu quibus auxiliari debeant spoliare possint : pars est integritatis judicum scribas ministrosque eorum integros esse. Ideo Baconus judici cuidam multa alia suasit et in primis eum hortatus est ut « suas suorumque (id est horum qui « circum se essent) manus castas incorruptasque a muneribus « tueretur (1). »

Quomodo autem scribarum innocentiæ consulatur ex uno exemplo facile intelligitur. Illa in concione, quam habuit, inita cancellarii curia, sese pollicetur exemplaria diligentissime visurum, ut sit justus linearum numerus, sine inutilibus ullis scriptis (2). Secutum est decretum : « Omnia exemplaria, in cancellarii cu-« ria, quindecim versus continento in pagina quoque, scriptos « ex ordine, nullo spatio intermisso, subscribente nomen prin-« cipe clero officii, in quo scripta sint, aut ejus vicario, per « quem ipse teneatur; ne qua autem pecunia pro subscriptione « ista exigatur (3). »

Verisimile est decretum illnd non a Bacono primum latum esse, sed, uti Romæ fuit pars edicti quam prætores omnes ad se invicem transferre soliti erant, unde *edictum tralaticium* dictum est, ita in Anglorum cancellariorum edictis nonnulla jampridem ita obtinuisse ut legis vim omnino haberent, nec quisquam ea omittere sustineret. Nec credendum est Baconum, qui res novas in doctrina civili parum probavit, antiquas summa

(1) His Lordship's speech in the common pleas to Justice Hutton — Servorum quoque manus continendæ sunt : V. The passages in Parliament against Bacon; to the twenty eight article of the charge : « The « lord chancellor hath given way to great exactions by his servants, both « in respect of private seals and otherwise for sealing of injunctions. »

(2) The effect of that which was spoken by the Lord keeper of the great seal of England, etc.

(3) Ordinances in chancery, 67.

veneratione coluit, abstinuisse quin edicta, jam tempore et usu comprobata, si quid iis justi inesset, servaret.

IV. Quantum ad principem vel statum (1). — Fere nihil adhuc apud Baconum reperimus de officio judicis, quod non et verum et laudandum esse videretur. Nunc autem fere nihil reperiemus, quod non et falsum et damnandum sit; non enim magis vitæ ac moribus ejus quam huic doctrinæ parti nocuit quod regum consiliis mixtus esset.

« Judices ante omnia in memoria fixum tenere debent versi- « culum ultimum Duodecim tabularum Romanarum : *Salus* « *populi suprema lex*, et pro certo ponere, leges, nisi sint in « ordine ad eum finem, res esse captiosas et oracula male ins- « pirata. » Absit omnis gratia, omnis invidia : quantum periculum cooriatur ex tanta judicis potestate quis non sentit ? jam ad eos transfertur legum ferendarum potestas, jam leges in incerto sunt, nihil privati satis tutum, nec ipsa respublica omni metu vacat : quot enim mala versiculus ille ei attulerit incredibibile est memoratu. Leges quidem utilitatis causa ferri diximus; judicum autem autem non est quærere an vera utilitas ex illis procedat, sed quid velint illæ. Non modo æquitas, sed ipsa omnium utilitas vetat hac superiore lege teneri vel potius a ceteris liberari judices.

« Itaque bene succedit, quum rex aut status sæpius cum judi- « cibus deliberat; et rursus, quum judices principem et statum « sæpius consulant; ille, quum inter deliberationes politicas « interveniat quæstio juris; hi ut in subjecto legali interveniant « considerationes status. Contingit enim haud raro ut res in « judicium adducta versetur circa *meum* et *tuum* et nihilominus « consequentia ejus ad rationes status penetret. » Probo quidem in consilium vocari judices, ubi jus immiscetur publicis ne-

(2) De Off. jud., 6.

gotiis; in hoc enim judices sunt ut illud quid sit quærant; quod quum in privatis, tum in publicis rebus queunt discernere : attamen et quondam fit ut illi gratiæ obnoxii sint consiliaque regis amplexi formam juris potius quam jus ipsum sequantur. Regem vero a judicibus in consilium vocari omnino iniquum est : non enim quid regni intersit considerare debent judices, sed quid lex jubeat. Ne in causis quidem publicis regem consulendum reor, de quibus noster : « Bonum publicum insigne rapit « ad se casus omissos. Quamobrem, quando lex aliqua reipu- « blicæ commoda notabiliter et majorem in modum intuetur et « procurat, interpretatio ejus extensiva esto et amplians (1). » Nullum regio responso opus est; lex illa enim quid velit quærendum non aliter quam quid lex alia quæcumque. Sin autem, quousque eundum est? « Intelligo autem ad rationes status per- « tinere, non solum si quid ad jura regalia impetenda spectet, « verum etiam si quid innovationem aliquam minus tutam, aut « exemplum periculosum introducat, aut si manifesto portionem « aliquam populi majorem gravet. » Adde quod apud reges privata gratia nonnunquam utilitati publicæ obstet, eam tamen præ se ferat, regesque ad rempublicam pertinere quidquid ad suos spectet facile existiment. Nihil autem inutilius reipublicæ quam rescindi fidem judiciorum, minui auctoritatem legum, omnia gratiæ permitti.

Sensit ipse Verulamius non omnino probandam sententiam suam; ideo eam, nisi argumentis fulcire, certe figuris ornare conatus est : « Neque quisquam infirmi judicii existimet justas « leges adversus politica vera aliquid antipathiæ habere. Sunt « enim hæc duo veluti spiritus et nervi; quorum alteri in alteris « moventur. Recordentur etiam judices Salomonis thronum leo- « nibus utrinque suffultum fuisse : sint sane leones, sed leones

(1) De Fontibus juris, XII.

« sub throno, caventes ne aliquid ex juribus legalibus impetant « aut convellant. Postremo ne sint judices tam ignari juris et « prærogativæ suæ, ut cogitent non sibi relinqui tanquam mu- « neris sui partem principalem sanum et prudentem legum « usum et applicationem. Etenim in animum revocare poterunt « dictum illud apostoli de lege humanis legibus majore : « *Nos scimus quia lex bona est, modo quis ea utatur legitime.* » Non autem *justas leges adversus politica vera aliquid antipathiæ habere* quisquam contendit, sed eas commodo aut commodi speciei condonandas esse recte negatur. Scilicet non easdem res et judicia et rerum publicarum administratio amplectuntur. Judices sane nihil *ex juribus regalibus impetere aut convellere* debent, non ideo privata jura violare jubentur, nec lege uti legitime possunt, nisi ei unice pareant.

Si quis autem Baconum excusare in animo habet, ab illo defendi potest consuetudinis, quæ tunc fuit, imperium. Jacobus I filium suum hortatur ut coram curiis ipse adsit amicis suis, quo citius de litibus eorum statuatur, æquitatem tamen servet (1) : nonne autem principem adesse ut alicui faveat, hoc ipsum iniquum est judicesque impellit ut æquitati minus quam gratiæ consulant? Ipse Baconus laudat et consilii regii dominos et regem ipsum quod non immisceantur, ut fieri solitum erat, privatis causis, nisi illæ cum publicis rebus manifeste jungantur (2).

Unum et alterum exemplum a vita, ab epistolis ipsius Baconi sumatur officii, quod illi visum est judicis erga principem. Inde qui fuerint istius temporis mores apparebit.

(1) Βασιλικὸν Δῶρον, Sda pars.

(2) The charge against Mr Oliver St John, for scandalizing and traducing in the publick sessions letters sent from the lords of the council touching the benevolence.

Sacerdos quidam (1) concioni suæ aliquot seditiosa verba inseruerat, sed concioni quam nunquam palam habuerat, ne habere quidem destinaverat : attamen, quoniam ex manibus ejus illa evaserat, Rex, potestatem suam læsam esse questus, eum damnari majestatis voluit, quumque judices aliam in partem propensos videret, ab illis per Baconum petiit ut secum de causa privatim singuli loquerentur (2). Bacono autem obstitit Eduardus Cokius, curiæ præses, quo nullus clarior inter Anglos prudentes, secretamque illam deliberationem a regni consuetudine abhorrere respondit. Baconus igitur collegas ejus tentavit, contendens quemque suo sacramento cogi ut regi poscenti consilium daret, nec minus si ab universis quam si a singulis poposcisset ille. Deinde ad Cokium ipsum reversus, quum nihil profecisset, ad Regem scripsit (3) : « Cum Eduardo « Cokio iterum collocutus sum qui declaravit deliberatio- « nem istam secretam esse novam et periculosam, multaque « insuper adjecit vehementiora quam quæ ad te referam... « Me objiciente a Rege singulos judices consuli posse, res- « pondit casum hunc differre a ceteris quoniam ad vitam « spectat : objeci autem publicas res ad mille vitas spectare « posse adque multas res majoris momenti quam unius privati « vita, uti bellum, pacem et similia. » Neque collegarum exemplum, neque statutum quoddam Eduardi III satis valuisse apud Cokium refert Baconus. Attamen ille tandem consilium suum aperuit, sed majestatem abesse declaravit (4). Quid vero? Bacono jubente, quæstio habita fuit de infelici sene, quanquam jam sexaginta annos, nisi ex legibus saltem

(1) Nomine *Peacham*.
(2) Letter CXII to the king, touching Peacham.
(3) Letter CXIV.
(4) Letters CXVI and CXVII.

ex moribus expulsa erat (1), damnatusque ille in vinculis mox mortuus est.

In alia causa paulo post et sua potestate usus aut potius abusus est Jacobus, et ei sese ministrum præbuit Baconus et unus obstitit Cokius. Quum de ecclesiasticis beneficiis a rege collatis litigaretur, Jacobus a judicibus per Baconum petiit ut in alium diem differrent judicium, quia cum illis colloqui vellet (2). Baconus quidem ad Eduardum Cokium jussa regia quamprimum misit mandavitque ei ut illorum collegas suos certiores faceret : « Respondit meo nuntio, scribit ad regem Baconus, « nihil melius fore quam ceteros judices a me istorum certiores « fieri; ego quidem qui causas nectere nescio quoninus tibi ser- « viam, scripsi ad singulos judices, in epistolis litterarum ad « præsidem missarum facta mentione. » Nihilominus judices sententiam tulere : indignatur Baconus : « si quidem defende- « rent illi communem regulam, *nulli negabimus*, *nulli diffe-* « *remus justitiam*, duo objicienda sunt, unum, quod maturum « sanumque consilium cum mora non confundendum sit, neque « illi abstinent quin hæc præ se ferant, ubi opus est, alterum « quod plurimum differunt casus inter subjectum subjectumque, « et casus ubi Regis commodum miscetur aut directe aut per « consequentiam. » Non minus quam Baconus, indigne tulit Rex judicum pervicaciam, remque exponi jussit in scripto quod correxit noster (3). Cujus prior pars ad aliam causam spectat : scilicet quod curia Regis, præside Cokio, ad juratos detulisset litigatores qui, sententia jure communi lata, ad cancellarii

(1) Lord Macaulay, *loc. cit.* — Lingard, t. IX, c. II.

(2) Letter CXLI to the king about the Commendams.

(3) A memorial for his Majesty, corrected with sir F. Bacon. — Letter CLII.

curiam confugissent pro qua re Cokium et collegas ejus ad Cameram stellatam mittendos censet Baconus. Posteriore parte, ad beneficia pertinente, probatur regis jussum de sententia differenda omnino legi consentaneum fuisse. Denique res in consilium adducitur (1) : referuntur omnia, jus beneficiorum concedendorum Regi denegatum fuisse, epistolam ab atturnato generali scriptam, quomodo a judicibus responsum sit. Rex autem monet de regalis potestatis nobilissimis partibus cum populari et injusta libertate disputari, quam diutius tolerare nequeat: epistola ejus legitur : « Nobis ita placitum est, qui « sumus caput et fons justitiæ sub Deo in regno nostro, ut ex « nostra plena potestate et regali auctoritate vos vetaremus « huic causæ ante immisceri quam ad urbem reverteremur « et ex nostro ore quid nobis placeat audire possetis; hoc « est providere ne quo ictu potestas nostra feriatur, non « prohibere ne jus detur privatis, in quo nullus unquam « vobis a me turbas afferri persuadebit. » Deinde in populares prudentes Jacobus invehitur qui in parliamentis ipsius potestatem calcare non dubitaverunt, quum tamen, nisi Rex summo in honore sit, nulla reverentia leges legumque prudentes frui queant.

Postquam Rex verba fecit, judices cuncti ante genua ejus provolvuntur; respondet Cokius, cujus dicta refutat Rex, refutat quoque Baconus, cum hoc omne concilium stare nullus mirabitur. Tunc autem Cokius cum concilio disputari a se posse negat, si eodem judice usurus sit. Baconus gratiæ suspicionem avertere conatur : « Quicumque in concilio Regis sedent, sacra« mento, officio, multo magis jussu Regis ipsius cogi ut nemi« nem timeant, et sæviant etiam in nobilissimum subjectum,

(1) Letter CXLV.

« nec modo in aliquem subjectum, sed in collegium quodcum-
« que personarum vel subjectorum, etiam in judices, in viros
« qui in Parliamento locum habent, si auctoritatis suæ fines
« excedunt aut aliquid ex regali potestate vel prærogativa suæ
« Majestatis detrahunt, responso justiciarii, coram Rege habito,
« se suosque collegas læsos, jamque a Sua Majestate satisfac-
« tionem repetere. » Nihil justius esse declarat Rex; contra quem sese verba facturum negat Cokius. Deinde Rex judices singulos interrogat quid censeant; aperiunt omnes sententiam, præter Cokium, qui tantummodo sese acturum esse, secundum officium judicis, asserit; omnes quoque, præter eumdem, Regi pollicentur sese nullo modo potestatem ejus læsuros. Tunc eos dimittit Jacobus, coramque concilio suo, quod non antea interrogare voluit, ne non liberi esse judices viderentur, rem in medio ponit. Omnes autem in unum cum ipso conveniunt.

Jam satis : quid fuerit tunc jus dicere apparet : Angliæ regibus parum fuit alias juris formas finxisse, alias curias creasse, alias pœnas tulisse, alia scelera sanxisse; ne prisca quidem tribunalia, ne judices quidem illos qui ex lege statuere debebant, ne legem quidem illam communem non ex sese pendere passi sunt. Omnia in regno suo sua facere voluerunt. Hæc autem fuit inter præcipuas magnæ illius mutationis rerum in Britannia causas, quod juris species tantum maneret atque inanis forma, omnes quidem curiæ aut jus aut æquitatem regi condonare solitæ essent.

Laus debetur uni viro, Eduardo Cokio. Unus ille inter omnes judices regiæ potestati obstare non dubitavit, gratiam spernere potuit; unus vitæ, unus libertati omnium consuluit. Cum eo acerbissimas inimicitias gessit Baconus; ab eo in foro vexatus, quid ad eum scripserit noster supra vidimus. Ubi ipse honores iniit ad regemque accessit, nihil magis cordi habuit quam Cokium destruere : postquam Cokius honoribus spoliatus fuit, eo invidiæ

processit Baconus ut in hunc turpiter inveheretur (1), deinde parum abfuit quin ipse sese præcipitem daret, quum prohibere vellet ne cum rege inimicus ipsius in gratiam rediret (2). Nos autem, quanquam de Bacono scribimus, non ita ejus in verba juramus, ut non multo ante ipsum Cokium ponamus. Hunc fateor in reos sæpe ultra modum acrem fuisse (3), imo crudelem, in defensores nimis acerbum (4). Non autem regi sese facilem præbuit, non amicis regis : nemo illa ætate sen humiles, seu potentes acrius habuit (5) : foro exire jussus, in parliamento, felicius quidem, regali potestati obstitit (6). Nihil autem nobilius, nihil laude dignius quam leges amplecti, ubi eas universi deserunt, quam liberum se præstare, ubi nemo liber.

Utinam ipse Baconus regiis precibus minime aut non tentatus aut non victus fuisset! utinam Jacobo sese ministrum non præbuisset ad destruendas leges corrumpendaque judicia! quid vero? num totam istius vitam famamque obliviscor? utinam gratiæ nunquam obnoxius fuisset neque ab ullo judicia perverti

(1) Letter CXXXIX, to sir Edw. Coke : « You cannot but have much « of your estate (pardon my plainness) ill got; think how much of thal « you never spoke for, how much by speaking unjustly or in unjust « causes. Account it then a blessing of God, if thus it may be laid out for « your good and not left to your heir to hasten the wasting of much of « the rest, perhaps of the all. »

(2) Letters CLXXVIII-CLXXXIII.

(3) Vocavit *Walter Raleigh* detestabilem atheum, araneam infernam, vilissimum et odiosissimum proditorem. Lingard, T. IX, c. 1.

(4) Lord Macaulay, *loc. cit.* : « He behaved with gross rudeness to his « juniors at the bar, and with execrable cruelty to prisoners on trial for « their lives. »

(5) Id., ibid.

(6) M. Guizot, *Histoire de Charles Ier*, l. I : « Tout le peuple se pressait « autour du Parlement. Dans son enceinte, des hommes habiles et hardis « dirigeaient ses conseils : sir Edouard Coke, l'honneur de la magistra- « ture, et non moins illustre par sa fermeté que par sa science. »

sivisset! Illumne, qui tam recte, tam luculente de judicis officio (nisi erga principem) disseruit, pravum judicem fuisse! Non enim ullo modo aut absolvi potest ille qui se ipsum venalem confessus est, aut excusari, qui toties judicem ante omnia integrum esse debere scripsit : ne defendatur quidem illius temporis judices plerosque nimis corruptas fuisse, et in Gallia a magistratibus accepta, in omnibus causis, munera. A Britannicis scriptoribus demonstratum est neque unquam corruptelam pro norma pro lege habitam fuisse, et quæ in Gallia magistratibus pendebantur munera, nihil aliud fuisse quam legitimum hono rarium (1). Baconum hominem *bini salarii*, ut ipsius vocabulo utar, fuisse constat, nec eam quam tam diu, tam impigre excoluit philosophiam ita apud ipsum valuisse ut pecunia abstineret, manusque innocentes servaret. Num inde colligendum est philosophiam inutilem, quæ nonnisi; ad pompam in scholis splendeat? Jam Platonis Baconique præcepta inter se conferre tempus est : utra moribus et menti majorem utilitatem afferant satis apparet. Ex Baconiana ista philosophia nihil ad mores, nihil ad virtutem redundare magistri ipsius exemplum docet; Plato autem non tantum, ut Baconus, ut Britannici scriptores jactant, verba edidit, sed vere mentes humanas erexit ad virtutemque formavit. Hoc an fuerit inutile minime disputandum, si virtuti suus honos esse debet.

(1) Lord Macaulay, loc. cit.

CAPUT TERTIUM.

De Advocatis.

Quidquid de advocatis, tanquam in Bacono repertum, scribemus fere unice ad componendam orationem pertinet; nec præcepta ille dedit, sed exempla tantum. Vix pauca reperire est de studiis advocati, quæ quasi in omnes causas viatica ille sumere debet, de auxiliis, quibus in quamque rem uti potest. Non enim hoc in capite, potius quam in superiore, et quomodo discendum sit jus explanare tempus et quos libros auxiliares in libro *de Fontibus juris* attigit noster, eorum mentionem facere: nullum aut inclytum advocatum aut bonum judicem posse esse constat, nisi qui jus teneat, non autem advocati judicisve proprium est ac peculiare jus tenere.

I. DE ADVOCATI STUDIIS. — Fere nihil, ut diximus, de advocati studiis scripsit Baconus, nisi ad jus attendas. Attamen, sicut Quintilianus (1), prodesse oratorum philosophorumque lectionem asseverat, nam « dialectica et rhetorica pugnacem reddunt et « ad contentiones alacrem (2). » Singulariter scholasticis illis disputationibus favet, unde, quum fori imaginem præbeant, parati et accincti ad forenses disputationes se conferunt juvenes : imo junioribus ecclesiæ ministris similia esse concilia cupit, ubi nisi disputare illi, certe disserere discant (3); nihil enim utilius est

(1) Lib. II, cap. 5.

(2) Serm. fid. XLVIII. De studiis et lectione librorum.

(3) Certain considerations touching the better Pacification and Edification of the church of England : « We see the orators have their declama- « tions, lawyers have their moots, logicians their sophisms and every « practice of science hath an exercise of and erudition an initiation before « man come to the life. »

quam inter pares exerceri, ne imparatus cum superioribus contendas.

Judicum est quid jus velit quærere, advocatorum id ipsum eos docere. Advocatus igitur ne ante causam oret quam undique sibi auxilia paraverit. Nec satis eum *nova digesta legum* et *scripta authentica* novisse. Sæpius ad fontes juris repetendum est; ideo « consultum fuerit in novo digesto legum vetera volumina non « prorsus deleri et in oblivionem cedere, sed in bibliothecis sal- « tem manere, licet usus eorum vulgaris et promiscuus prohi- « beatur. Etenim in causis gravioribus non ab re fuerit legum « præteritarum mutationes et series consulere et inspicere; ac « certe solemne est antiquitatem præsentibus adspergere (1), » et infra : « Nihil tam interest certitudinis legum quam ut scripta « authentica intra fines moderatos coerceantur et facessat mul- « titudo enormis auctorum et doctorum in jure : unde laceratur « sententia legum, judex fit attonitus, processus immortales « atque advocatus ipse, quum tot libros perlegere et vincere non « possit, compendia sectatur. Glossa fortasse aliqua bona et ex « scriptoribus classicis paucis vel potius scriptorum paucorum « pauculæ portiones recipi possint pro authenticis. Reliquorum « nihilominus maneat usus nonnullus in bibliothecis, ut eorum « tractatus inspiciant judices aut advocati, quum opus fuerit; « sed in causis agendis, in foro citare eos non permittitor, nec « in auctoritatem transeunto (2). » Illa in foro citari vetat Baconus ne auctoritatem scriptorum authenticorum obtineant : quod si omnino fieri non potest eorum mentio, sane inutile est verum quærere, quum sententiam tuam judicibus probare nullo modo queas.

II. QUOMODO COMPONENDÆ SINT ORATIONES. — Nullo modo

(1) De Fontibus juris, LXIII.
(2) Ibid. LXXVIII.

facilius apparebit quomodo componendas orationes censuerit noster quam si antea aliquot ex ejus orationibus quem ordinem habeant explicaverimus. Ipse ideo eas in lucem edidit ut advocatis (1) aliquid utilitatis afferrent : « Cupiissem quidem a di-« gniore quodam exemplum proficisci : attamen et quondam « incipitur ab humillimo. Bona venia dixerim, pleraque argu-« menta quæ nunc profero de rebus non vulgaribus habita sunt « et præterea, quoniam vita mea jus semper cum aliis studiis « miscuit, magis varia esse possunt et forsitan in iis meram « altitudinem rationis reperire est, juris enim communis ra-« tiones, nisi ex natura, moribus et doctrina civili profiscis-« cuntur, similes sunt muralibus floribus, qui quanquam in al-« tum crescunt, nullum habent radicem (2). »

1. Una ex orationibus de causa *Impetitionis vasti* (3) habita est, querente quodam vastum esse agrum quia arbor ad exstructiones apta evulsa a precario possessore erat, eumque impetente. « Causa, ait Baconus, magnum habet momentum, quoniam « spectat aut spectare potest ad omnes agros in Britannia ; quæs-« tio difficultatem, quia navigat in *confluentiis aquarum*, occur-« rentibus pugnantibusque inter se duobus fluminibus magnis. « Ex altera parte ingens est flumen usus et opinionis, ex altera « ingentius (ut mihi videtur) auctorum veterum recentiorumque. « Igitur, secundum augustam regni consuetudinem, causa nunc « ante hoc concilium (4) fertur, et tempus est quæstioni finem

(1) *Practicians of law*.

(2) The arguments in law in certain great and difficult cases, to my loving friends and fellows the Readers, Ancients, Utter-Barristers and students of Gray's Inn.

(3) The case of Impeachment of waste. — « *Waste* is a spoil or des-« truction in houses, gardens or other corporeal hereditaments to the « disherison of him that hath the remainder or reversion in fee-simple « or fee-tail. » (Blackstone, t. II, c. XVIII.)

(4) Before all the Judges in the Exchequer chamber.

« imponi, legi regulam, hominum contractibus normam. » Isto modo quid agatur, quam dignum attentione judicum monet Baconus, inde rem dividit : « Dubitatio quidem nascitur et ma« net de duabus rebus considerandis : prius considerandum « cujus sit arbor ad exstructiones apta, quem dominum habeat, « posterius quomodo construatur quidque velint ista verba, « *absque impetitione vasti;* nam in duas istas partes veniet quid« quid pertinere potest ad rem. »

Prior pars ad dominium spectat; veritus autem noster ne obscura esse videatur interpretatio quam in medio positurus sit, mentes judicum præoccupare conatur, objecta publica utilitate. Quæ sit arborum natura quærit : arborem autem aurumque agri partem esse, ubi ab eo distracta sunt, negat, non quia mobilia fiunt, sed quia ubi sunt distracta, perpetua esse desinunt, non jam igitur agri pars manere queunt : « Hic autem non possum « non mirari quam sapientes sint leges Angliæ quantumque « cum philosophia et ipsa natura congruant; regula est enim « philosophica in regione elementari nihil esse æternum, nisi « per propagationem speciei aut per successionem partium. » Quid igitur dum arbor agri pars est? Qui precarie possidet, ei jus est *in superficie*, nullum *in profundo;* tantum habet *tunicam terræ*, paulo magis quam ejus vestem. Legis enim sapientia inter se similia conjungi vult, qui in perpetuum habet ei perpetuum jus esse, qui in tempus habet, ei in tempus jus esse. Inde ad auctoritatem librorum venit Baconus, ubi tria esse argumenta dominii docetur : cui satisfaciendum, domino læso — cui plena potestas competat — quis illud conferre possit. Omitto quidem quæ de istis argumentis verba fecit Baconus; non enim de jure, sed de oratione Baconi scribo.

Posteriore parte quid valeat clausula *absque impetitione vasti* docet Baconus. Ante omnia pro certo ponit jura quæ ad res, non ad personas attinent a lege, non ab hominibus describi. Quod si quis clausulam a lege diversam scribat, jusque aliquod aut

magis aut minus patere quam lex jusserit faciat, clausula talis legi repugnet vanaque sit. Dein vocis sensum quærit : « Loquar « primo de verbis, secundo de ratione, tertio de auctoribus « qui sensum nostrum fulciunt, quarto de usu qui alium fulcire « contenditur; tandem quid argumenti ex injuria admissa ad « alterutrum veniat explanabo. » Probat igitur noster clausulæ nunquam in precariis possessionibus locum fuisse, sed ideo illam scribi solitam esse ut substitutionibus fideicommissariis faveret. Animadvertendum est tamen hic a nostro primum positam esse, quam supra vidimus, regulam de usu : « Quoad « usum, etiamsi tam antiquus et communis quam dicitur esset, « attamen, quum nullus auctor eum probaverit, sed omnes « probaverint, nihil aliud est præter popularem errorem : « *pedum visa est via*, non *recta visa est via*. »

Hunc in modum perorata est causa : « Quod ad lignum attinet, « est *vivus Thesaurus regni*; est materia murorum nostrorum, « nec modo horum qui domos nostras, sed et eorum qui insu- « lam ipsam tuentur; igitur universo regno noceat favere con- « suetudini, quæ jam ita efficit illud minui, et vastationi, quam « nimis adjuvant ipsa tempora. Quandoquidem ratio legisque « auctoritas et forma reipublicæ in idem conveniunt, quibus « autem jus de quo agitur aut competit aut competet, illi satis « protegantur si ex hujus clausulæ beneficio pœna aliqua fera- « tur, jam lex, jam regni hujus utilitas jubet, nec vetat priva- « torum commodum stricto sensu intelligi clausulam quodque « placitum fuit confirmari. »

2. Ad causam juris publici transeamus, de *Postnatis Scotiæ* (1). Supra diximus quam vehementer Jacobus I utrumque regnum in

(1) The argument of sir F. Bacon, His Majesty's solicitor general, in the case of the Postnati of Scotland, in the Exchequer chamber, before the lord chancellor and all the Judges of England.

unum conjungi cupierit, quam impigre eum adjuverit Baconus. Quum autem Parliamenta leges institutaque confundere noluissent, ad curias sese vertit Rex, Scotos omnes natos postquam ad regnum Angliæ accesserat ex lege Anglorum in eorum civitatem adscitos esse contendens (1): Rex ad dominorum curiam et ad cancellarii curiam venit: in hac oravit causam Baconus.

« Non sustinuerim, ait ille, tantam causam confuse tractare, « sed antiquam orandi formam amplecti malim, id est, primo « explanabo rem, secundo respondebo contra objecta, tertio « probabo vel confirmabo. » Rem igitur explicat : « Num puer, « natus in Scotia, postquam sua Majestas regnum Angliæ feli« citer assecuta est, civis est Angliæ necne? » Addit : « Pace « vestrarum dominationum, in illa causa, ante omnia, quæram « et aperiam fundamenta et fontes rationis, non ab regulis et « doctrina juris communis principium erit; nec aliter egi in « omnibus gravibus meis causis, inque talibus agendum censeo. « Quod nihil sapientiæ legum nostrarum detrahit, quasi non « possint de casibus suis statuere, sed iis potius dignitatem ad« dit ubi non auctoritas sine ratione earum apparet: inde, « pulchris nummis similes, ubique acceptæ sunt non modo signi « causa, sed ob metalli pretium, scilicet rationem sapientiam« que suam. » Argumentum hoc fuit præcipuum, imo unicum. Baconi, quod ejusdem civitatis non possent non esse qui sub eodem rege viverent. De regibus igitur disserit: non lege, sed natura, non hominibus, sed a Deo constitutam esse eorum potestatem, quanquam non ipsa supra leges posita est, affirmat. Dein quis sit civis, quis alienigena, docet, statutorumque de civitate, de alienigenis mentionem facit.

Contraria argumenta confutat, nihil ad regium thesaurum ven-

(1) Lingard, t. IX, c. 2.

turum esse ex litteris denizationis, nimium in Anglia Scotorum fore numerum, leges Angliæ nonnisi in Anglia vim habere; hic legem, nisi personis, rebus certe favere posse contendit, nihil autem dignius esse cui faveat lex quam communicationi civitatis. Tandem vetat distingui regem a corona, ne hanc illi adimi posse inde colligatur. Hic etiam notemus quam libenter ex causa ad rationem, ad philosophiam procedat : de favore legis vere philosophicum sermonem habuit; de communicatione civitatis loquendo, jus gentium totum descripsit; nullis enim ex operibus Baconi abuit philosophia, sed in omnibus primum locum tenuit, *et vera incessu patuit Dea!*

Nihil confirmatio habet in quo sit immorandum.

Secundum regem Baconumque et domini et cancellarius sententiam tulere.

3. Restat oratio contra duellum (1). In exordio, veritus ne causa vilis esse videretur, Baconus homines quidem viles esse confessus est, « neque frustra aliquando in republica minores « puniuntur, ut grandes moneantur : solet enim et canis in leonis « vapulare conspectu. » Non est popularis ille sermo. Rem vero magnam essse affirmat, « ut hujus specialis causæ exiguitas ge- « nerali criminis istius pertractatione suppleatur, eum in finem « ut mea adversus duella procedendi intentio et fori hujus sen- « tentia (absque qua ego nihil valeo) innotescat, atque hic offen- « dentes sciant quid sibi sit metuendum... Priusquam igitur ea « quæ a Dominationibus vestris in præsentiarum sunt dijudi- « canda aggrediar, hand intempestivum duco loqui : primo, de « natura et magnitudine criminis hujus; secundo, de causis et « remediis; tertio, de legum anglicanarum justitia, quas hoc in « casu insufficientes dicere non verentur aliqui; quarto, de

(1) Oratio Francisci Baconi, atturnati-generalii Regii, qua in Camera stellata accusaverit Priestum et Wrightum duello decertantes.

« hujus fori sufficientia in quo certa adversus hoc facinus reme- « dia optime reperiuntur : et quinto, de ipso animi mei propo- « sito, cui ut subvenire dignentur Dominationes vestræ humil- « lime flagitabo. »

Naturam sceleris attingit, quo nullum est periculosius, quippe quod non modo pacem turbet, sed in bellum possit erumpere; ipsum se supra legem esse contendit, non, ut scelera, se scelus esse confitetur, ita ut « annalium statutorumque codices cedere « cogantur Gallicis Italicisque rhapsodiis, duella describenti- « bus, » inde tot juvenes acerbo funere præripiat, tot nobilibus viris inutilem mortem afferat.

Causæ autem sunt « falsus et erroneus de honore et fama con- « ceptus..., dæmoniaca apparitio, » vulgi vanitas, veræ fortitu- dinis contemptus; quatuor tamen sunt remedia, primum : « ut « appareat ostendaturque in republica constans atque firmum « abolendi ea propositum; » secundum ut « nulla amplius in- « dulgentia hoc faveatur malum ejusque sementum; tertium, ut « ex aula Regia, vera honoris sede, ejiciatur quisquis falso ho- « nore ad scelus perductus sit, quartum ut puniantur hac in « Curia (1) actiones ad duella tendentes. »

Angliæ legi objecta duo queritur, quod non distinguat cædem ex insidiis aut ex honesta causa factam, nec satis severe convicia castiget. Legem autem divinam, id est, scripturas, leges Romanas græcasque in testimonium vocat, quæ distinxere utrum quis alium occiderit volens an invitus, consilio necne : « Sed « occidere hominem præmeditate et tum demum distinguere in- « ter turpem elegantemque cædem, monstrosa tantum est hujus « sæculi progenies, nulla ratione in divina sive humana lege « fundata... Sed ignarus non sum esse et duella legibus per- « missa; *quam recte non definio.* Alterum est quando in cons-

(1) In qua tentata, non modo admissa scelera fuere punienda.

« pectu exercituum privati duo decertant; alterum est judi-
« ciale duellum, ubi justitia est in obscuro... quanquam Theo-
« logi adhuc de ejus disputent justitia. »

« Quoad alterum legis nostræ defectum, similiter respondetur « potuisse vesaniam videri, pœnam dictare mendaciis, quæ ipso « actu nihil sunt, præter negationes ejus quod affirmant alii... « Quoad convicia notum est ex orationibus in senatu Romano « habitis eadem neque hic abfuisse neque in Græcia : nemo au- « tem arbitratus est se iisdem fœdari, sed judicavit inimici esse ha- « bitum et stylum ; ideoque aut contempsit aut reddidit, non « vero sanguine conspersit... Si extraordinariæ contemptus cir- « cumstantiæ comitentur » convicia, verbera, vulnera, « severe « in tales animadvertit hic consessus, verum non unumquodque « est famæ vulnus letale... Atque tantum de legis patriæ sapientia « atque justitia. »

« Quod vero hoc attinet forum, assero infallibile esse, quod « omne crimen capitale, quamvis non commissum, sed tan- « tum designatum, et hoc consessu sit puniendum. » Quid inde consequatur facile apparet. Severissimas pœnas in quemcumque duello mixtum esse constiterit, sive ille in animo pugnare habuerit, sive alium incitaverit, adjuverit, docuerit, irrogatas vult noster.

Ideo cancellarium rogat ut ipsum ad coercenda duella semper adjuvet, cameram ut ipsi faveat, nobiles omnes Angliæ ut sanguini suo parcant. Desiderandum tamen nobilibus tantum suaderi ne incassum moriantur, in causa plebeiorum.

Decretum sequitur, in quo omnia oratoris argumenta rursus exponuntur, pœnaque secundum ea indicitur.

4. Duo quidem præcipue sunt animadvertenda, quam accurate dividat Baconus orationem, qnantum locum det philosophiæ.

Nullus est Baconi liber qui exacta divisione careat. Utilitatem enim ante omnia amplexus noster, nil inutilius esse sentit quam

si quid confusum et obscurum est. Nec tam apud æquales ejus divisiones defuere, quam ordo. Res enim quocumque modo dividatur necesse est; vigente autem dialectica, subtiliter causæ divisæ fuerunt. Nec tantum in foro, sed omnibus in doctrinis tnm desideratus est lucidus atque simplex ordo. Baconus autem primus et in doctrinis et in foro eum servavit, ratus nihil magis ad verum aperiendum probandumque efficax esse. Ordo ei fuit sive indagationis sive probationis instrumentum. Quid in animo habuerit ipse dixit : « Non equidem nego hanc esse magnam vim mentis, « quod dubias faciat lucidas res; illa autem hoc vere utile habet « quod lucidas faciat dubias res, aut saltem, si quæ sint lucidæ, eas « lucidas esse sinat (1). » Igitur, postquum exordium habuit, exponit rem quam lucidissime, dividit deinde : abstinet autem quin hic protinus partem quamque dividat, sed ubi ad quamque ventum est, in aliquot partes eam secat; de iis statim disserit, ne ullo modo possit mens legentis vel audientis deerrare. Præterea non semper eodem ordine utitur in omnibus causis, sed quem quæque postulat adhibet, ut orationem non ipse, sed causæ natura et vis dividere videatur. In oratione de *Impetitione vasti*, prius de dominio, posterius de clausula verba facit; in priore parte, quæ sit rei natura, de qua agitur, deinde cui competant de ista re jura quæ dominis competere solent considerat : in posteriore, quid velint verba clausulæ, quid ratio, quid auctoritates, quid usus, quid facta. Nil lucidius, nil simplicius : attamen nil latius. In oratione contra duellum, de natura sceleris, de causis remediisque, de legum justitia, de fori potestate, de suo proposito disserit. Ordo alius, in aliis rebus, coram judicibus aliis.

Hoc vero Baconi orationum omnino peculiare est quod semper philosophici aliquid in minimis causis retinere videantur. Quam arcto vinculo inter se eloquentia et philosophia contineantur in-

(1) The case of revocation of uses, in the king's bench.

credibile est, nec injuria vir, in quo utraque floruit, Cicero « discidium quasi linguæ atque cordis, ut alii nos sapere, alii « dicere docerent, absurdum sane et inutile et reprehendendum » declarat (1); et infra : « Illa vis autem eloquentiæ tanta est ut « omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturæ, quæ « mores hominum, quæ animos, quæ vitam continet, originem, « vim incitationesque teneat : eadem mores, leges, jura descri- « bat, rem publicam regat, omniaque, ad quamcumque rem « pertineant, ornate copioseque dicat (2). » Ipse quidem Baconus cordi habuit philosophiam eloquentiæ immiscere (quod testatur orationum ejus procœmium) quodque immiscuerit laudandum esse duxit. Nunc enim quæ sit precarii juris, quæ perpetui natura quærit, nunc de regia potestate, id est, de maxima civilis doctrinæ parte luculente disserit, nullius legis auxilio unquam utitur, nisi eam omnino rationi consentaneam esse demonstraverit; si forte ei usus objicitur, quæ esse debeat illius vis, quando pro regula adhibendus sit, quando pro errore abjiciendus docet. Maxima inde dignitas, maxima gravitas accedit orationi, dignus quidem eloquentia forensi ornatus. Nec satis : fere nihil magis ad convincendas hominum mentes valet. In Parliamento quoque sæpe philosophico sermone usus est Baconus, ubique philosophia polluit. Ideo eum libenter conferam cum viro illo qui et in philosophia, et in historia, et in eloquentia, ætate nostra, eminuit, eo ceteris præstitit quod philosophiam cum historia, cum eloquentia conjunxerit ; utinam et in rerum publicarum administratione dignus fuisset Verulamius qui cum illo conferretur !

Multa alia sunt in Baconi orationibus laudanda, gravis et vividus sermo, exordia ad res apte composita, acris confutatio, lucida juris explanatio, institutorum legumque summa veneratio

(1) De Orat. III, 16.
(2) Id. ib. 20.

qua nihil efficacius esse solet ad benevolentiam judicum conciliandam. Non illa vero propria sunt nostri, non in illis maximam operam ipse impendit, ceteris ut impenderent præscripsit.

Non ante componendus est *de Judiciis* liber quam animadvertatur quot similia inter se habeant jus romanum jusque Britannicum. Scilicet, uti Romæ diversis ex originibus manavit jus, præcipue ex legibus, ex honorariis edictis, ex consuetudine, ita fuit in Britannia jus commune ant municipale, ex longo usu ortum, statuta regum, cancellarii edicta. Ubique fere consuetudo tacitæ legis vim habet; eam igitur in utraque gente pro lege fuisse nil mirum. Non ubique curiæ æquitatis, ut Baconiana voce utar, institutæ sunt, non ubique illis juris condendi potestas permissa. Jampridem Baconus ipse utriusque juris similitudinem jactavit, et hodie quoque prudentes eam exstare animadvertunt (1). Cujus causam quærere operæ pretium est : duplex illa esse mihi videtur. Una quod principio utrumque jus nimis durum, nimis severum fuerit : hinc profectum esse jus honorarium, quod jus civile nonnisi Romanos cives tueretur, Romani ipsi prudentes testantur : mox enim prætor peregrinus et novas leges et novas actiones condere cœptus est quibus et peregrini inter se et Romani cum peregrinis litigantes uterentur : quæ quum magis paterent quam jus civile mitioresque essent, et Romanis inter se pro legibus fuerunt. Non aliter in Britannia jus ideo conditum est ut victores a victis minime timere possent; unde tot duræ leges, quæ mutatis temporibus, non ipsæ mutatæ sunt; quum vero æquitatem læderent nec jam illas excusaret utilitas, in mitius a cancellario flecti cœptæ sunt.

(1) M. Laboulaye, *Etudes sur la Propriété littéraire en Angleterre*, p. 61.

Altera causa sit quod et Romæ et in Britannia fere nefas esse visum sit mutari leges; ubicumque lex non ab uno conditur aut abrogatur, non ab uno pendet, ea summa in veneratione habeatur necesse est, utpote quæ vere regina ac domina sit, cives a civibus protegat, libertatem omnium tueatur; præterea non facile est cives omnes ad legem ferendam convenire, sed quum hi novas res metuant, illis veteres cordi sint, inde consequitur fere nullam legem abrogari posse, quod auget venerationem legum antiquitate. Attamen alia tempora, alii mores; aliæ quoque leges sint necesse est. Ideo prætori aut cancellario permittitur potestas non sane legis ferendæ, sed edicti, quod, si quis vere velit æstimare, legis vicem obtinet.

LIBER TERTIUS.

DE JURE DOCENDO.

Quanti referat jus doceri vix operæ pretium est breviter exponere. Hinc enim fere nullam habet auctoritatem jus, si, quantum res præsens exigat, ei studere cœperit aut judex aut advocatus, hi autem, quum non ad omnes causas parati sint, ne sciant quidem qua lex de re statuat, nedum eam cum celeris conferre quodque in illa aut desideretur aut obscurum sit convenienter juri aut supplere aut illustrare queant. Illinc nullo modo quisquam an judex, an advocatus esse possit satis compertum est, nisi ab illo studia reposcantur, quæ aliquam juris scientiam in hoc esse argumento sint.

Duobus autem modis docetur jus, aut a legumlatore aut a præceptoribus. Sæpe enim ille, veritus ne præceptores deessent, ne parum fideliter ab illis, quod ipse condiderit, servaretur jus, libros quosdam *auxiliares* scribit, ad usum scholarum. Non tamen e medio tolluntur præceptores, sed ducem sequi coguntur, non ipsi duces esse possunt. Cur institutiones scribi jusserit Justinianus ipse declarat, *cupidam legum juventutem* in procœmio allocutus : « Et quum sacratissimas constitutiones antea confusas « in luculentam ereximus consonantiam, tum nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina; et « opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, « cœlesti favore jam adimplevimus, quumque hoc Deo propitio « peractum est, Triboniano... necnon Theophilo et Dorotheo... « convocatis, mandavimus specialiter ut nostra auctoritate, nostrisque suasionibus institutiones componerent, ut liceat « vobis prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, « sed ab imperiali splendore appetere, et tam aures quam animæ

« vestræ nihil inutile nihilque perperam positum, sed quod in « ipsis rerum obtinet argumentis accipiant (1). » Nullo modo disci posse jus nisi *ab antiquis fabulis* aut *ab imperiali splendore* putat Justinianus, præceptores fore qui sponte sua fabulas antiquas exterminent jurisque elementa teneant ac doceant non existimat. Scilicet ætate illa vix judices exstitere, nedum exstare possent præceptores. Præterea ante omnia timuit Justinianus ne qua sententia aut opinio a Digestis aliena in diem prodiret, unde aliquid dignitatis tanto operi detraheretur : ideo vetuit « ullum audere commentarios iisdem legibus adnectere : nisi « tantum si vellet eas in græcam vocem transformare sub eoedm « ordine eademque consequentia, sub qua et voce Romana po- « sita erant... Alias autem legum interpretationes, imo magis » perversiones eos jactare non concedimus : ne verbositas « eorum aliquod legibus nostris adferat ex confusione dedecus... « Si quid autem tale facere ausi fuerint, ipsi quidem falsitatis « rei constituantur, volumina autem eorum omnimodo corrum- « pentur (2). » Parum quidem a Justiniano præceptoribus relictum est.

Fatemur quidem nihil necessitati objiciendum, nec modo ei quæ ex fortuna, sed et ei quæ ex ratione procedit (3) : quod si aut nulli sint in aliqua gente præceptores aut eos omnino juris ignaros esse constet, et ita sese habeant res ut nullo modo quod nondum sit mox fore appareat, sane tunc legumlatoris est providere ne ideo torpeat jus, quod non doceri possit, præceptorumque munus sibi assumere. Liceat autem hanc necessitatem abjicere. Ubi enim de optima juris forma disseritur, non ea

(1) Procemium de Confirmatione Institutionum, §§. 2 et 3.

(2) De confirmatione Digestorum ad senatum et omnes populos, §. 21.

(3) Bacon, An apology of the earl of Essex : « Shall not reasonable « men be persuaded as well by necessity of reason as by necessity « of fortune? »

civitas fingitur, in qua nulla sit doctrina, nulla spes, sed omnia ad barbariem vergant. Num debeat idem jus et condere et docere, ubi alii illud præcipere queant, quærendum est. Quid ea de re censuerit Baconus non dubium est, quum ille non modo legumlatori docendum jus scripserit, sed quot libri *auxiliares* scribendi sint, quibus de rebus, exposuerit : ad quos mox veniemus. Attamen nec studiis nec legibus prodesse potest quod ex eodem fonte oriantur. Quod enim ad studia attinet, nulli licet aliis docendi jus denegare, nisi qui a se ipso illud optime doceri contendit : numquis ita suis viribus confidit, ut neminem melius facturum quam sese reputet ? nonne qui leges condit homo est, humanæ conditionis particeps ? Ad id quisque proficit, quo magis proficiat alius. Jura ferenti opus est ut necessitates rerum ante omnia noverit, docenti ut naturam moresque juvenum compertos habeat, illi ut omnia ad usum, huic ut omnia ad scientiam referat. Quod sensere recentiores qui legem nonnisi materiam præceptoribus esse voluerunt : improbant nonnulli Codicum in jure docendo servandum ordinem, quum, consensu omnium, non juvenum causa compositi sint et ordinati (1). Præterea ea est natura juris ut quotidie quidem, ex parte vero tantum mutetur : quod si eadem pars in Institutionibus non mutetur, inde fit ut Institutiones et lex inter se pugnent, pars autem juris præceptori relinquatur, nec illos semper mutari patiuntur rerum publicarum necessitates. Quod ad leges spectat, maximum est periculum ne aliqua inter se differant leges ipsæ earumque Institutiones : quum utræque ex eodem emanent, nonne jure suo eamdem auctoritatem videntur obtinere ? Timendum quoque ne jam ex legibus non repetatur jus, sed plerique satis habeant Institutiones attingere. Quod quam valde ipse

(1) M. Oudot, Premiers Essais de Philosophie du Droit, *passim, et inprimis* p. 171 et 172.

timeat testatur Baconus, qui ne id fiat sæpe prohibet : credo quidem, Justiniani tempore, non minus judicibus et advocatis quam *cupidæ legum juventuti* Institutiones profuisse.

Bacono autem verisimile est Justiniani opera semper ante oculos fuisse, quumque hinc aliquid connexi inter se haberet jus Romanum jusque Britannicum, illinc jus Britannicum statutorum, judiciorum, consuetudinum mole obrueretur, non aliter atque jus Romanum ante Justiniani ætatem, hoc ei semper cordi fuisse ut quod in uno fecisset Justinianus, in altero quoque id fieret. Sane ille nil melius esse existimavit quam quod usu probatum fuerat.

CAPUT PRIMUM (1).

De libris auxiliaribus a legum latore scriptis.

Quos libros *auxiliares* legum scribendos esse, quam illos valere debere Baconus censuerit videamus.

I. QUI LIBRI SCRIBENDI SINT. — « LXXIX. — At scientiam juris « et practicam auxiliaribus libris ne nudanto, sed potius instru- « unto. Ii sex in genere sunto : institutiones, de verborum signifi- « catione, de regulis juris, antiquitates legum, summæ, agendi for- « mulæ. » In epistola ad Regem scripta de Britannicis legibus unum in corpus redigendis, tres tantum auxiliares libros addendos dixit noster, scilicet, *Institutiones*, *de Regulis juris*, *de Verborum significationibus*, sane ne, nimis petendo, nihil impetraret (2).

De Institutionibus. « LXXX. Præparandi sunt juvenes et novitii « ad scientiam et ardua juris altius et commodius haurienda et « inhibenda, per institutiones. Institutiones illas ordine claro et « perspicuo componito. In illis ipsis universum jus privatum « percurrito, non alia omittendo, in aliis plus satis immorando, « sed ex singulis quædam breviter delibando ut ad corpus legum « perlegendum accessuro nil se ostendat prorsus novum, sed levi « aliqua notione præceptum. Jus publicum in institutionibus ne « attingito; verum illud ex fontibus ipsis hauriatur » Hic apparet quantum noster Justiniano debeat. Cujus in institutionibus nec attingitur jus publicum, nec ordo idem est atque in Digestis. Nos vero ne in Digestis quidem nocere posse « ordinem

(1) De Fontibus juris, LXXIX et sqq.

(2) A proposition to his Majesty, touching the compiling and amendment of the laws of England.

« clarum et perspicuum » arbitramur ; hunc igitur institutionum proprium esse negamus. Quoad jus publicum omittendum, una causa apud Justinianum exstitisse videtur, quod nullum aut fere nullum tunc fuerit : ubi non omnino vigere desiit, in hoc maxima opera impendenda. Jam de eo aliæ Institutiones scribi possunt, ne utrumque jus in eodem libro confundatur; cur non scribendæ sint non intelligimus. Hinc enim tam utile est jus publicum quam jus privatum novisse, illinc non minus difficile discere.

Probandæ sunt, ut reor, Institutiones, mode ne a legum latore scriptæ sint. Etenim nemo ideo discit jus ut de omni re interrogatus protinus queat omnes ambages aperire. Scilicet et vana est gloria tot responsa memoria servare, ut ne deliberatione quidem opus esse videatur, neque ullo modo jus omne teneri potest. Omnes sibi suas Institutiones faciunt, nulla de re omnino indocti, omnino docti, ut quæque causa qno tendat statim intelligant, quid juris sit cum tempore reperiant. Non autem semper facile est ex mole legum Institutiones extrahere, ut plerique malint jus omnino ignorare quam tantum laborem sibi assumere. A quo illos non modo liberant Institutiones, sed ad cetera studia faciliorem viam permittunt, utinam eos ad eadem impellant! Optime quidem Baconus Institutionibus duas esse virtutes jubet, scilicet, ut in lucidum ordinem redigantur, ut nulla juris pars intractata sit, saltem intacta in illis relinquatur.

2. *De verborum significatione.* « LXXXI. Commentarium de vo-
« cabulis juris conficito. In explicatione ipsorum et sensa red-
« dendo, ne curiose vexator : neque enim hoc agitur ut defini-
« tiones verborum quærantur exactæ, sed explicationes tantum,
« quæ legendis juris libris viam aperiant faciliorem. Tractatum
« autem istum per litteras alphabeti ne digerito (id indici alicui
« relinquito); sed collocentur simul verba quæ circa eamdem
« rem versantur, ut alterum alteri sit juvamento ad intelligen-
« dum. »

Non hinc abest Romani juris memoria et imitatio : unus enim ex titulis Digestorum de verborum significatione totus est (1). In quo non ex litterarum ordine definitæ sunt voces; quis autem ordo sit servatus omnes fallit. Nullam aliam fuisse causam cur Verulamius quoque litterarum ordinem servandum negaverit reor. Quid enim est commentarius de vocabulis juris? Nonne utilitatis causa scribendus? Quid autem utilius quam litterarum ordo? Nonne eadem verba in multis juris partibus obtinent? Num ex una ad alteram currendum erit? Adde quod sæpe una vox non idem sonet in duabus partibus aut in pluribus; exemplo sit *jus accrescendi* Romanis in legibus. Omnium significationum eodem loco facienda mentio.

At parum refert ordo; ne ipse quidem commentarius nobis placet. Quid enim, si semel sensus in lege sumptus sit definitioni contrarius? quot inde coorientur lites? At in foro librum qui nunc agitur non valere concedo : num in schola eum sequi cogentur præceptores? non enim quodcumque ex legum latore venit ab iis tangi fas est. Plerumque definitiones, in legibus insertæ, a vero sensu abhorrent, sane quia non eorumdem est jus condere et docere. Exemplo sit in lege nostra vocis *mobilia* definitio, quam neque in foro, neque in schola obtinere debere omnes confitentur.

Quid igitur? Num tollendæ omnino definitiones? Nullo modo, ut reor, sed satis esse videtur, si prout res reposcit, verbum quodque definitur. Quod si unum plures sensus includat, quisque exponatur ubi opus sit. Sin minus, quum definiantur verba, nec ipsæ res exponantur, nihil esse possunt definitiones, nisi inanes soni, memoriam onerant potius quam judicium adjuvant, juris studio nocent potius quam prosunt.

3. *De Regulis Juris.* — « LXXXII. Ad certitudinem legum facit « (si quid aliud) tractatus bonus et diligens de diversis regulis

(1) Lib. L, tit. 16.

« juris. Is dignus est qui maximis ingeniis et prudentissimis « jurisconsultis committatur : neque enim placent quæ hoc in « genere exstant. Colligendæ autem sunt Regulæ, non tantum « notæ et vulgatæ, sed et aliæ magis subtiles et reconditæ, « quæ ex legum et rerum judicatarum harmonia extrahi pos- « sint (quales in rubricis optimis quandoque inveniuntur), sunt- « que dictamina generalia rationis quæ per materias legis di- « versas percurrunt et sunt tanquam saburra juris. — LXXXIII. At « singula juris scita aut placita non intelligantur pro regulis, « ut fieri solet satis imperite. Hoc enim si reciperetur, quot « leges, tot regulæ; lex enim nihil aliud quam regula imperans. « Verum eas pro regulis habeto quæ in forma ipsa justitiæ « hærent : unde, ut plurimum, per jura civilia diversarum « rerum publicarum eædem regulæ fere reperiuntur; nisi « forte propter relationem ad formas politiarum varient. — « LXXXIV. Post regulam brevi et solido complexu enuntiatam, « adjiciantur exempla et decisiones casuum maxime luculentæ « ad explicationem, distinctiones et exceptiones ad limitatio- « nem, cognata ad ampliationem ejusdem regulæ. »

Non aliter atque liber *de Verborum significatione*, liber hic *de Regulis juris* ex jure Romano originem ducit : cognatus est sane novissimo Digestorum titulo (1) : unde aliquot verba in Baconum translata mox videbimus. Nec modo librum illum scribendum censuit noster, ipse vero scripsit : in quo infra immorabimur, ut librorum auxiliarium exemplum præbeamus, Num vere utilitas aliqua inde redundare possit tempus est quærere : quod non in libro *de Fontibus juris* attigit noster, sed in procemio libri *de Regulis juris* (2) : « Postquam ad leges meæ « patriæ memet applicui, ea cupidine incensus ut non minus

(1) Lib. L, tit. 17. — De Diversis Regulis juris antiqui.
(2) The maxims of the law, the Preface.

« ceteris ad cognitionem istarum prodessem, si qua fieri pos-
« set, quam istæ mihi in vita prodessent, reperio quidem meo
« ipsius labore, ulla sine publicæ potestatis parte, nihil utilius
« afferri posse scientiæ illi quam regulas rationesque legum in
« immensa mole colligi : unde non parvum lumen novis casibus
« accessurum sit, in quibus fluctuent auctoritates, sed lex
« confirmari possit, aperiri ambages; in quibus autem lex
« illustrata sit auctoritate, attamen descendenum sit altius in
« judiciorum regularumque rationes eaque magis efficacia ad
« aliorum casuum dubitationes tollendas facienda : ita ut
« obscuritati legum, qua nihil sæpius, nihil justius legibus
« gentis nostræ exprobrari solet hac ætate, quantum in nobis
« sit, aliquod adjumentum accedat. Nec modo tollentur dubita-
« tiones, adjuvabitur ratio, sed et ornabuntur argumenta, cor-
« recta inani subtilitate, ad eumdem saniorem sensum reductis
« legibus, amotis vulgaribus moribus, quid plura dicam? me-
« liore facta natura ipsa et conditione totius juris. Ideo hujus-
« modi rationes digne et convenienter a magno Romani juris
« prudente *legum leges* vocantur, quia *placita legum*, id est,
« quæ a lege præscribuntur, facillime a vera justitiæ figura ab-
« horrent, nisi legibus istis ipsæ reguntur. »

Regulas magnifice laudat Baconus : easdem vehementer damnat prudens quidam, quo nemo inter recentiores cordi magis habuit philosophiam cum jure conjungi (1). Quid enim? nullo modo rationes legum reperiri possunt, nisi ex quaque causa ad justitiam ipsam ascendatur, quæcumque media sint negligantur. Non autem tantum laborem sibi incumbere patiuntur qui quotidie jure utuntur, aut ad defendendas aut ad judicandas causas. Iis satis est, si quid latius patet quam casus unus; quod ad plures pertinet, rationem vocant. Ubi eamdem regulam in ali-

(1) M. Oudot, Premiers Essais de Philosophie du Droit, p. 80 et sqq.

quot causis invenerunt, illam, quia sæpe obtinet, semper obtinere reputant, præcepti forma ornant : ea vero nihil aliud quam memoriæ auxiliatur, non sine magno rationis periculo. Pleræque quæ habentur, regulæ, aut plurimas distinctiones recipiunt aut ex eodem ad idem colligunt. Exemplo sit titulus Romanus de diversis regulis juris antiqui, quæ dicuntur esse recentioris juris regulæ : *Res perit domino*, *Debitor rei certæ interitu liberatur*. Quod ipse fatetur Baconus qui vult « post regulam adjici « distinctiones et exceptiones ad limitationem. » Nonne autem hoc rationis proprium est ut ubique semper vera sit? Ne igitur rationis auctoritatem sibi usurpent regulæ juris. Restat quod memoriæ auxilientur. Hoc ipsum rationi nocere potest, si regulam memineris, exceptiones obliviscaris. Attamen hoc Bacono concedendum quod, ubi tot leges sint, tam confusæ, non omni adjumento exuatur meus. Non quidem ad leges inde lumen accessurum reor, sed auxilium memoriæ posse afferri non mediocre.

Recte autem suadet Baconus ne « singula juris scita intelli- « gantur pro regulis, » non sane quia, ut ille dicit, « pro « regulis habenda sunt quæ in forma ipsa justitiæ hærent, » sed quia non magis prodest memoriæ regularum quam legum moles. Non minus necesse est ne nimis a jure ab vitaque communi aliena pro regulis obtineant, quæ extra usum posita sint. Exemplar sibi proponit *rubricas optimas* Baconus. Nonne hoc est confiteri nihil aliud esse librum quam memoriæ auxilium? Quid vero? Nonne ille inter auxiliares libros collocandus est, Bacono teste?

4. *De Antiquitatibus Legum*. « LXXXVI. Præter corpus ipsum « juris, juvabit etiam antiquitates legum invisere; quibus licet « evanuerit auctoritas, manet tamen reverentia. Pro antiquita- « tibus autem legum habeantur scripta circa leges et judicia, « sive illa fuerint edita, sive non, quæ ipsum corpus legum « tempora præcesserunt : earum siquidem jactura facienda non « est. Itaque ex iis utilissima quæque excerpito (multa enim

« invenientur inania et frivola) eaque in unum volumen redi« gito, ne antiquæ fabulæ, ut loquitur Tribonianus, cum legi« bus ipsis misceantur. »

Hic desideratur in Bacono quæ solet esse reverentia priscæ ætatis veterumque legum; mirandum huic videri in illis « multa « inania et frivola. » Sed quanquam liber *de Antiquitatibus Legum* non est Romanus, non omnino deficit Romanorum prudentum memoria, quod ex Triboniani verbis apparet. Baconus, quum diu in Justiniani libris versatus sit, invitus et inscius de veteribus, non aliter atque Justinianus, locutus est.

Liber hic utilissimus esse potest; eum tamen a legum latore redigi nolim et præterea nulla est causa cur « in unum volu« men » redigatur. Non omnia apud veteres frivola et inania; brevem librum esse debere concedo, quando quidem est auxiliaris; eum vero esse cupio qui veteris juris summam contineat.

5. *De Summis.* « LXXXVII. Practicæ vero plurimum interest, ut « jus universum digeratur ordine, in locos et titulos, ad quos « subito (prout dabitur occasio) recurrere quis possit, veluti in « promptuarium paratum ad præsentes usus. Hujusmodi libri « summarum et ordinant sparsa et abbreviant fusa et prolixa « in lege. Cavendum autem est ne summæ istæ homines reddant « promptos ad practicam, cessatores in scientia ipsa : earum « enim officium est tale ut ex iis recolatur jus, non perdis« catur. Summæ autem omnino magna diligentia, fide et « judicio sunt conficiendæ, ne furtum faciant legibus. »

Nil utilius quam summæ illæ. Quod iis insit periculum Baconum non fefellit : id vero multo majus est, ubi summa a legum latore ipso scripta est. Non jam opus est ut quæratur num satis illa congruat cum lege, non jam ad legem unquam attenditur.

6. *De formulis agendi.* « LXXXVIII. Formulas agendi diversas « in unoquoque genere colligito. Nam et practicæ hoc interest « et certe pandunt illæ oracula et occulta legum. Sunt enim non

« pauca, quæ latent in legibus, at in formulis agendi melius et « fusius perspiciuntur, instar pugni et palmæ. »

Optime quidem : nec aliter apud nos quidquid ad formulas agendi, ad actionem ipsam attinet in unum Codicem redactum est. Scilicet legum latoris est tali de re librum scribere. Formulas enim agendi exponere, jubere est, non docere. Multa quidem relinquenda sunt judicibus, non omnia : imo plurimum interest de actionibus constantes et fixas normas poni, ne litigatores judicibus et scribis aut ludibrio aut prædæ esse videantur.

II. NUM LIBRI AUXILIARES, A LEGUM LATORE SCRIPTI, LEGUM VIM HABERE DEBENT. — Hinc difficile est eos cum ceteris libris confundi, nec eadem esse potest auctoritas præceptori cuidam, atque viro aut concilio cui plena potestas ferendæ, tollendæ, mutandæ legis permissa fuerit : quum lex sit interpretanda, nullus ad interpretandam eam aptior quam qui eam condidit : præterea, etiam in libris auxiliaribus, natura rerum cogitur legum lator ut eodem sermone quo in legibus utatur, ambages negligat, argumenta omittat, imperet prohibeatve. Illinc multis in rebus differre queunt leges librique auxiliares, quum sæpe litigantibus satis sit una vox, unum punctum : utrosque tamen inter se quadrare volo; valde timendum ne leges negligantur. Institutiones tantum et liber de Regulis juris discantur : quod si utrique libri eamdem habent dignitatem, eamdem vim, quis ita impiger, ita cupidus legum est ut in legibus ipsis immensum quidem, inutilem laborem impendere velit ? Quanto verisimilius omnes non ex ipsis fontibus, sed ex rivo quem ipse aperuerit legum lator, jus hausturos esse? Quo nihil juris scientiæ inutilius esse potest.

Justinianus quidem Institutionibus vim esse legum voluit : « Quas ex omnibus antiquorum institutionibus et præcipue ex « commentariis Gaii nostri tam Institutionum quam rerum quo- « tidianarum aliisque multis commentariis compositas, quum « tres prædicti viri prudentes nobis obtulerunt, et legimus et

« cognovimus et plenissimum nostrarum constitutionum robur « eis accommodavimus (1). » Nil mirum : Justinianus enim majore amore quidquid scripserat fovebat quam ut illud pro vulgari commentario haberi, non pro sacratissima lege servari pateretur. Præterea supra diximus non minus ejus Institutiones judicibus quam juvenibus profuisse, quod manifeste testatur proœmium. Quia judices ignari erant, institutiones tam pollere quam leges jussit imperator; quia Institutiones legibus æquiparatæ erant, magis magisque ignaros istos evasisse verisimile est.

Bacono autem non opus fuit libros *auxiliares* cum legibus adæquare. Quantum valere juberet librum de Regulis juris ipse declaravit : « LXXXV. Recte jubetur (2) ut non ex regulis jus su- « matur, sed ex jure quod est regula fiat : neque enim ex verbis « regulæ petenda est probatio, ac si esset textus legis : regula « enim legem (ut acus nautica, polos) indicat, non statuit. » Idem de ceteris libris apud eum obtinere minime dubium est : « Ex legibus ipsis quæ jus commune constituunt, deinde ex « constitutionibus sive statutis, tertio loco ex judiciis perscriptis « corpus juris tantummodo perscribitor. Præter illa, alia authen- « tica aut nulla sunto aut parce recipiuntor (3). » Patet libris auxiliaribus nullum in corpore juris relinqui locum : non eos inter « scripta authentica » numerari; non enim eos sinit Baconus quidquam esse præter auxilium.

Nescio an ad istos extendi voluerit verba de scriptoribus *classicis* : « In causis agendis, in foro citare eos non permittitor, « nec in auctoritatem transeunto (4). » Quod si nihil aliud Ba-

(1) Institut. Proœmium. §. 6.
(2) A Paulo, Dig. de Regulis juris, l. 1.
(3) De Fontibus juris. LXXVII.
(4) Ibid. LXXVIII.

conus quam ab his peti regulam vetuerit, eos tamen ad illustrandam supplendamve legem adhiberi siverit, jam verba ista libros auxiliares amplecti possunt. Non autem Baconus videtur prohibuisse ne interpretationi auxilia afferrentur. Quid vero? quamquam ille vim legis libris nostris negavit addendam esse, periculum est ne inde multæ lites exsurgant, ne interpretationis specie legi fraus fiat, ne jus in ceteris scriptis potius quam ipsis in legibus positum esse videatur. Nullo modo periculum tale vitari potest, nisi prohibeatur legumlator ne studio legum immisceatur, nisi vetetur libros auxiliares, *de Regulis juris* aut *de verborum significatione* scribere : quid plura? nisi jus condat cui jus condendum sit, jus doceat cui jus docendum.

III. EXEMPLUM LIBRI DE REGULIS JURIS (1). — Non ea mente librum hunc fecit Baconus ut exemplum proponeret (2), attamen quum ad Regem scripsit de corrigendis in unumque componendis Britannicis legibus, addendumque *de Regulis juris* librum censuit, illum a se quondam redactum fuisse monuit, quem apud posteros non multo inferiorem Eduardi Cokii responsis fore speraret. Non igitur omnino ab istius sententia videmur abhorrere, si librum hunc ab illo pro exemplo propositum fuisse contendimus.

Non jam de utilitate libri disserendum; satis est supra hujus procemium in latinum sermonem vertisse. Ad regulas veniri potest, de quibus ante omnia judicium ferentem auctorem audiamus : « Clare et perspicue eas exposui, in casus transtuli, « distinctionibus illustravi, quondam de quibus rationibus pen- « deant ostendi, qua affinitate ceteris cum regulis contineantur « aperui (3). »

Quinque et viginti sunt regulæ, de diversissimis rebus, nec

(1) The maxims of the law.
(2) Vid. præfationem.
(3) Ibid.

modo omnibus de partibus privati juris, sed et de jure publico. Primam regulam : « In jure non remota causa, sed proxima « spectatur, » in legibus civilibus tantum valere, quod ad pœnarum leges attinet nullam esse declarat. Ad pœnas spectant quum duodecima regula : « Receditur a placitis juris potius quam « injuriæ et delicta maneant impunita, » tum quinta et decima : « In criminalibus sufficit generalis malitia intentionis « cum facto paris gradus. » Jus publicum, quod in institutionibus intractatum vult Verulamius, hic attingitur in quinta : « Necessitas inducit privilegium quoad jura privata, » quam in publicis causis valere negat noster, et in undevicesima : « Non « impedit clausula derogatoria quominus ab eadem potestate « res dissolvantur, a quibus constituuntur » ubi et privatos et Parliamentum sese ligare posse infitiatur. Attamen pleræque regulæ de jure civili sunt.

Regularum nullus ordo esse videtur. Non modo inter se miscentur omnes partes juris, sed ne in eadem quidem quem ordinem servaverit noster apparet. Quidquid ad interpretationem contractuum attinet solent legumlatores conjungere. Ille autem in regula tertia jubet « verba fortius accipi contra proferentem, » in decima « verba generalia restringi ad habilitatem rei vel « personæ, » in tertia et decima « non accipi debere verba in « demonstrationem falsam, quæ competunt in limitationem « veram, » in tertia atque vicesima « ambiguitatem verborum « latentem verificatione suppleri, nam quod ex facto oriatur « ambiguum verificatione facti tolli. » Nec aliter de ceteris rebus : neminem consentire, si vi cogatur, satis constat. Regula autem quinta est : « Necessitas inducit privilegium, quoad jura priva- « ta; » secunda et vicesima : « Non videtur consensum retinuisse « si quis ex præscripto minantis aliquid immutaverit. » Non injuria quidem dixit in procemio Baconus sese nihil aliud quam regulas in corpore legum dispersas collegisse : non easdem composuit, non vere librum scripsit.

Vix operæ pretium est animadvertere haud satis fuisse quinque et viginti regulas. Talis liber totam juris molem amplectatur necesse est : si quam partem omiseris, inde consequitur ut qui illum legant non possint juris summam comprehendere : non autem ex partibus id discetur. Insuper non satis auctoritatis habent regulæ, quæ non omni ex jure excerptæ esse videntur.

Hoc igitur Baconi exprobrandum libro quod non omne jus ille teneat, in eodem tamen omnes juris partes et attingantur et misceantur, quodque raro in nostro accidit, desit ordo lucidus. Quod si ille memoriæ auxilium allaturus est, aliter sane componendus fuit : jus publicum jusque privatum de more discernenda, servandus ordo quidam, quo nihil utilius esse potest ad adjuvandam memoriam. Quod si præterea aliquid philosophici retinere debet, quid minus philosophicum, quid a ratione magis alienum quam tot tamque diversas res confuse misceri, quum omnes juris partes inter se arctissimo vinculo, cum ratione præterea sanctissima societate connexæ esse videantur ?

Nunc videamus quid quæque regula ad memoriæ utilitatem, quid ad rationis splendorem afferat.

Recte quidem sibi gratulatus est Baconus quod regulas juris clare et perspicue exposuisset. Nihil enim simplicius de istis, nihil lucidius scribi potuit. Hoc eo laude dignius, quod ad nos attinet, quod Britannici juris sermonem retinuerit : qui quantum a nostro vel a Romano abhorreat incredibile est. Ita lucidus esse et tum coactus est et jampridem solitus fuerat, ut post ducenos et quinquaginta annos, in libro isto, in tali sermone nihil obscurum reperiat aliquis, in Britannica lingua parum versatus, in jure multo minus, haud satis Romano Gallicoque jure imbutus.

Regulam, in capite positam, uno et altero exemplo illustrat; deinde si quid excipiendum aut distinguendum, exemplum quoque addit : quod non modo ad intelligendum est efficacissimum, sed in usu quoque utilissimum esse potest. Quod autem mente facile capitur, idem memoria haud ægre servatur. Regu-

las igitur non parvum auxilium memoriæ præbituras esse arbitramur.

Supra quidem diximus istas rationi potius obesse quam prodesse solere. Non ita visum est Bacono qui sese ad rationis fontes repetisse in hoc libro sæpe jactavit. Etenim nullus fuit qui acrius philosophiam in jus transferri suaserit, felicius ipse curaverit. Hic tamen quid velit ratio, quæ sit philosophia omnino eum oblitum esse dixeris : usque adeo verum est non satis rationem valere in incepto quod ipsum a ratione abhorreat! Regulam tertiam : « Verba fortius accipiuntur contra pro« ferentem, » quomodo « ex altitudine rationis petitam es« se » probat? « Nam primo illa est magistra et sapientiæ « et diligentiæ, docens homines in suis ipsorum rebus atten« tos esse : deinde omnia tuta et certa facit, non modo quia « contractibus faveat..., sed quia finem litibus de constructione « verborum imponat. » Scilicet utilitatem ante oculos unice habet Veruliamius, non æquitatem. Quæ tamen consentit cum illa; namque, ut reor, verisimile est quemque verba facere arbitrio suo, æquum eumdem verbis suis ipsius astringi.

At ne utilitatem quidem semper quærit noster. In regula : « Necessitas inducit privilegium quoad jura privata, » publicas causas excipit. Cur eas excipiendas censeat exponere in animo habens, nescio quam aliam regulam citat : « Privilegium non « valet contra rem publicam, » et, ut alius dixit : « Necessitas « publica major est quam privata. » At enim hoc ipsum in quæstione est : de hoc deliberatur : esse causam regulæ regulam ipsam contendit. Hoc a fonte rationis ortum repeti vocas? Quid magis rationi et philosophiæ contrarium? Hoccine a te, unde minime decuit, pro philosophico habitum esse (1)!

Septima et decima regula est : « De fide et officio judicis non re-

(1) M. Oudot, *loc. cit.*, p. 83.

« cipitur quæstio, sed de scientia, sive error sit juris, sive facti. » Qua de causa? « Lex ita judiciorum stabilitatem, nomen et aucto-« ritatem judicum veneratur, ut vetet ullum allegari errorem « qui eorum lædat fidem et officium, eosque prave abusos esse « istis demonstret, sed tantum ignaros fuisse, et seu de lege, « seu de facto erravisse. » Cur lex tam certa judicia esse cupiat, cur judices in honore esse non dicit Verulamius.

Hanc duodevicesimæ regulæ : « Persona conjuncta æquipara-« tur interesse proprio, » causam esse contendit quod lex naturæ et sanguinis non nimorem habeant respectum quam pecuniæ et bonorum. Causam autem causæ omittit.

Ultimum exemplum ab undevicesima regula capiatur : « Non « impedit clausula derogatoria quominus ab eadem potestate res « dissolvantur a quibus constituuntur. » Hic Parliamentum a se ipso adstringi posse negat ne legem quamdam unquam abroget, ab eadem hoc ferri posse, ne jam Parliamenta sint, sed omnis potestas penes Regem sita sit, contendit « quia potestas suprema « seipsam dissolvere potest, ligare non potest. » Possum quia possum : non magis valet argumentum nostri : scilicet quærendum fuit cur potestas suprema seipsam possit dissolvere, id est, sibi ipsi interdicere ne quid unquam de omni re agat, se ligare non possit, id est, sibi interdicere ne quid de re una agat.

Baconus sane ante omnia cordi habuit philosophiam cum usu conjungere. In Proœmio duo contraria vitia esse fugienda declarat, unum quod nimis ab usu aliena invocentur, alterum, quod intra verba legis res includatur, nec quidquam ultra casum quemque tendat. Non igitur intra casus angustos se continuit : quum autem utilia scribere vellet, parum philosophiæ, parum rationi consuluit : hoc satis habuit plus patere verba quam casus demonstravisset.

Hoc in libro quantum sibi ipse consequatur noster apparet : multa enim invenientur quæ in libro *de Fontibus juris* pro præceptis posuit. Exemplo sit regula nona : « Quod remedio desti-

« tuitur ipsa re valet si culpa absit, » et duodecima : « Recedi-
« tur a placitis juris, potius quam injuriæ et delicta maneant
« impunita. » Verba ipsa huc translata fuisse videntur. Nil mirum : semper enim ante oculos habuit noster Britannicas leges, quas, velut exemplar, omnibus propositas voluit; easdem reperire est quum in libro *De Augmentis scientiarum*, tum in libro *De Regulis juris*, quorum unus ad omnes homines, alter ad Anglos pertinet.

CAPUT SECUNDUM.

De Prælectionibus et Libris prudentum.

Jus Baconus docuit, sive in scholis, sive in scriptis. Igitur, postquam de libris auxiliaribus a legum latore scriptis disseruimus, de prælectionibus, de scriptis disserendum : quorum, nisi præcepta, exempla certe a nostro traduntur.

I. DE PRÆLECTIONIBUS. — Una quidem apud Baconum reperitur, quam habuit ad collegium quoddam ineundum, de *statuto usuum* (1). In qua non quid de *usibus* jussum fuerit, quid dubitatum, quid judicatum, sed quid in omni materia considerandum, quomodo ea sit amplectenda, quis ordo servandus quæremus, memores sane ubi disseramus.

Usus est fiduciæ quoddam genus ex quo qui terram tenet eam habere secundum arbitrium utentis cogitur eumque frui patitur (2).

Omnis præceptor cui non materiam quamdam docere præscribitur, eligere vero eam licet, non fortuito eam sumere debet, sed, quum alienis jussis liber sit, quæ rationis vice habeantur, rationi consulere. Igitur ante omnia Baconus cur *usuum* statutum elegerit docet : « Optavi meam prælectionem esse de sta« tuto *usuum*, in septimo et vicesimo anno Henrici Octavi facto, « in quo usque ad hanc diem hujus regni dominia vacillant, « tanquam naves in mari, ut difficile sit scire quæ ratis nau-

(1) The learned reading of Mr Francis Bacon, one of Her Majesty's counsels at law, upon the statute of uses, being his double reading to the honourable society of Gray's Inn.

(2) « A use is a confidence reposed in another who was tenant of the « land or *terre-tenant*, that he should dispose of the land according to « the intentions of *cestuy que use*, or him to whose use it was granted, « and suffer him to take the profits. » (Blackstone, t. II, c. 20.)

« fragium passura sit, quæ ad portum perventura, id est, quod « dominium stabile, quod incertum futurum sit. »

Deinde quid electa de materia dicendum, cur ita dictum sit exposuit noster, longo quidem prooemio usus, utpote qui ab usitato genere dicendi in scholis paulum abhorrere videatur : « Quanquam haud ignarus sum difficultatis rei, quam mox « sentiet quicumque eam tractare cœperit, nec me ipsum illi « imparem nescio, quod semper intelligo et confiteor, attamen, « quoniam mihi erat plus excusationis quam junioribus, plus « otii quam doctioribus, ex me aliquid utile oriri posse repu-« tavi. Scilicet, ubi vir mediocris ingenii intentus in aliqua re « versatur, sæpe evenit ut tempore, meditando, solvat multas « ex dubitationibus, in quibus majus ingenium, multis aliis « rebus occupatum, hæreat. Si crassior aut imbecillior sum « quam qui judicem aut inveniam, certe mihi sunt aliæ artes, « quarum auxilio spero me dispositurum auctoritates et opinio-« nes de usu obtinentes, tali ordine, ut ex sese invicem lucem « aliquam accipiant, quanquam ex me nullam. Quod ad hujus « prælectionis materiam spectat, mihi mens est restituere et « sequi veterem docendi rationem qualem videre est in prælec-« tionibus domini Frolickii de prærogativa et omnibus ceteris « ejusdem temporis, quæ minus pompæ, magis utilitati tribuit « quam quæ semper in honore esse cœpta est. Tunc enim expo-« nebantur statuta, et subjecta materia, et si quid diversum « esset : omnes enim prælectiones in simili lege, in contraria « lege versari invenietis, quarum ex una discitur subjecta « materia, ex altera discrimina. Non autem in his reperire « est subtiles dubitationes, plurimos fastidiosos et obscuros ca-« sus, qui omnes, præter unum, sepulti sunt, illius autem « major pars esse soleant. Equidem laboro ut vetera præcepta « sequar, legem de dubitationibus aperiam, non dubitationes « de lege. » Nonne totus apparet hoc in prooemio Baconus? Nonne videre est et novarum rerum amorem et priscarum vene-

rationem? Nonne huic nihil antiquius est quam lucide jus docere, quoque nihil efficacius sit ad lucide docendum, ordinem servare? Haud aliter in *Novi Organi* Præfatione : « Quum per « nos illud agatur, ut alia omnino via intellectui aperiatur, illis « (veteribus) intentata et incognita, commutata jam ratio est; « cessant studium et partes; nosque indicis tantummodo per« sonam sustinemus; quod mediocris certe est auctoritatis et « fortunæ cujusdam potius quam facultatis et excellentiæ. » Quum in natura, tum in jure, sese ordine tantum valere profitetur.

Ordo autem prælectionis hujus talis est : eam in sex partes dividit Baconus : « Materia de qua ante omnes verba faciam co« ram vobis natura est atque definitio *usus*, quo modo ortus sit « et creverit, ante statutum — secundo loquor de altera arboris « *usus* origine, statuto facto — tertio docebo qui usque ad hanc « diem, hoc in regno, *confirmatus* sit usus, quæ *confirmationis* « genera æqua sint et rationi congrua, intactaque esse debeant, « quantum sinat legis sensus et vera statuti constructio : quæ « autem tollenda sint — quarto attingam regulas et leges quas« dam, ad præsens nostrum consilium aptas — quinto quæram « quo pacto hodiernis incommodis remedium optimum peti « possit ab ipsius statuti constructione, nulla vi litteræ vel « sensum factæ — sexto quæ iisdem remedia offerri possint « leges a Parliamento, quam partem retinere nec edere in lucem « malo. »

Jam prælectionis ordinem ante oculos habemus. Prima pars non de statuto est, ad illud tamen eam spectare nulli dubium : hic enim quis sit usus, omni lege omissa, noster exponit, et historiam ejus narrat : nulla enim lex intelligitur, nisi unde orta sit, cur fuerit lata, antea intellectum est; quod nullo modo potest fieri, nisi ad materiam ipsam, ad originem ejus, ad tempora quibus lex lata fuerit, ad causas quæ ferri eam poposcerint, ad leges quibus ea obrogaverit respexeris. Non unice voluptatis causa historiæ studetur, nec modo ea ornatur jus,

sed et illustratur. Nec satis, ut quibusdam videtur, si forte in legem aliquid ex veteri jure translatum sit, hujus mentionem facere; priusquam ad legem ipsam ventum sit, exponendum est quid de materia ante illam obtinuerit. Non caput capiti, non verba verbis inter se comparanda sunt, sed lex cum lege conferenda. Inde et legem ipsam non modo tenebis, sed intelliges, quidque in hac aut simile aut contrarium sit veteri juri perspicies.

Secunda, tertia, quarta et quinta pars circa statuti expositionem versantur. Non enim est legem exponere, intra illius jussa tanquam includi. Insuper qui illa sanxerit legum lator videndum, sanctio autem quum pœnas, tum quidquid ad confirmandam legem tendit amplecti videtur. Ex toto legum corpore quærendum numquid ad subjectam materiam attineat; tandem, quum nulla sit lex quæ non incommoda quædam pariat, annon ex eadem unde incommodis remedia parari possint.

Nec satis : ea est humanarum legum conditio ut nunquam omnibus punctis perfectæ esse videantur, sed semper in his aliquid insit quod sit corrigendum aut tollendum, aliquid desit quod supplendum, quid plura ? ut ad meliorem statum reduci queant. Non boni præceptoris est legum contemptum discipulis suis injicere, imo eas ipse venerari, ceteris venerandas præbere debet, ea tamen conditione ne aut injusta laudentur aut inutilia commendentur. Omnes quidem educationis partes ad informandam rationem tendunt : non jus, ex ratione profectum, contrarium rationi esse potest. Baconus autem qua de causa partem istam omiserit nolo quærere, non difficile est suspicari : perpaucis enim, regnante Elizabetha, de legibus mutandis licuit disserere : animadvertatur tamen in sexta parte de corrigendis vitiis Bacono disserendum fuisse (1).

(1) M. Oudot, *loc. cit.*, p. 110. — « Toute institution humaine doit « être présentée par le professeur aux élèves : 1. dans son histoire,

Ille est ordo totius prælectionis : non minus lucidum ordinem cujusque partis videbimus.

Prima pars definitionem et historiam *usuum* continet. Ideo definiuntur verba ut quid velint intelligatur : non igitur in difficilibus rebus satis est definitionem ponere, nisi mentem audientis ita paraveris, ut non verba pro verbis, sed sensum pro verbis in illa reperiat. *Usuum* autem materia non modo difficilis est, sed etiam singularis, utpote quæ a solitis juris figuris abhorreat. Baconus non ante quis sit usus definit quam quis non sit lucide docuerit. In illo neque *jus in re* vel *jus ad rem* esse, neque fraudem probat. Inde, quum *usus* fiduciæ species tantum sit, in fiducia paulisper immoratur : quæ ubi constans est nec ad unam partem tantum constat, *usus* est : tunc definitio datur : « *Usus* est fiducia contracta cum eo qui terram tenet « ut aliquem ea frui sinat et eam secundum arbitrium ipsius « habeat... Convenienter huic divisioni, jus precarium, cui « nullum est omnino remedium, jus fiduciarium, cui reme- « dium in conscientia tantum est, jus legitimum, cui reme- « dium in lege. » Quid sit autem conscientiæ remedium docet; conscientiam enim aut privatam aut publicam esse, id est, Cancellarii curiam, declarat. Tum quid sit jus, quæ sit istius natura clarissime apparet. Quod si definitionem ante omnia ponere velis, dein eam explanare cogaris, et, postquam eam explanaveris, iterum ponere; satis est eam semel poni, scilicet ubi capi potest.

Inde ad historiam : in qua primum quærit Baconus num alia fuerint instituta, *usuum* similia : « Quia in rebus publicis eadem « accidere solent : in lege autem civili reperi quod nomine usui

« 2. dans son état actuel; 3. dans les perfectionnements qu'elle attend de « l'avenir. Ce qui fut, ce qui est, ce qui doit être, voilà les trois parties « d'un enseignement qui aspire à être complet. »

« proximum esset, re ab eodem abhorrens, usumfructum; sed « huic simillimum esse fideicommissum... Quæsivi et in nostra « lege (communi) numquid cum eo conferri posset; reperique « a Periamo istum cum *copyholders* (1) comparatum esse, apte « quidem multis de causis. » Gratulandum quidem Bacono quod historiæ juris partem esse cum aliis legibus comparationem voluerit : in qua, ut mihi videtur, non satis immorari solent prudentes. Hic Baconus libenter animadvertit quantum jus patriæ suæ juri Romano simile sit, prætoremque fideicommissarium, ab Augusto creatum, cum cancellario, non sine aliqua superbia, componit.

Tum statuta ipsa ante Henricum VIII condita enumerat. Postquam ea attigit, hunc in modum primam partem claudit : « Talis est statutorum ratio, ante statutum (Henrici VIII), de « *usibus*. Ita vos docui naturam et definitionem *usus*, discri« mina fiduciæ et *usus*, partes hujus et qualitatem; ex quibus « normis regendus sit : quid ante eum factum sit in lege nostra, « quibus de causis ortus sit et auctus, quo pacto progressus sit « in lege communi inque statutis : unde apparet usum nihil « aliud esse præter fiduciam, si quis magis alienæ conscientiæ « quam suo juri, suæ possessioni confidat, quod accidere solet « in hominum societate, quod fuit eritque in omnibus legibus, « erat igitur in communi lege, quæ est communis ratio. Fitz « Herbertus dicit... Communem rationem esse communem legem, « non conscientiam; sed communis ratio definire debet *usibus* « remedium ex conscientia venturum, non ex curiis legis : « communis enim lex quodammodo cancellarii curiam regit,

(1) Blackstone, t. II, c. IX : « There is one species of estates at will, « that deserves a more particular regard than any other, and that is an « estate held by copy of court roll, as we usually call it, a copy-hold « estate. »

« declarando quid ad hanc pertineat. Igitur vere colligendum « est vim quæ in conscientia usui est vel fuit esse ex communi « lege, quæ autem in communi lege est, ex statuto. Nunc vero « consequitur expositio statuti ipsius, qui est præcipuus labor « noster; quidquid enim adhuc tractavimus nihil est aliud « atque procemium. »

Nihil utilius esse potest quam breviter et quasi summatim dicta repetere, ubi non sunt legis verba, quæ amplectatur mens. Hic vero laborare nimium mihi videtur Verulamius ut materiæ suæ dignitatem addat; quam enim confitetur nonnisi ex conscientia pendere, quid est cur eam, nescio quo subtili argumento usus, ad commune jus reducere conetur. Valde timeo ne imitatus sit oratores, qui, quum viri magni laudes canunt, aliquid ei defuisse negant, contrarias virtutes ideo temperatas esse ut in eo miscerentur contendunt. Quod accurate præceptoribus fugiendum, præcipue ubi materiam aliquam tractant, non jus totum amplectuntur.

Ceteræ partes ad statum exponendum pertinent, quum sexta pars de corrigendis ejus vitiis desideretur.

Ante omnia statutum magnifice laudat Baconus, quod argumento sit, si quis vitia indicanda neget, ne dignitas legum inde minuatur. Non aliter autem de legibus quam de hominibus habendum est; non, si hos diligis, eo vitia prætermittenda; imo animadvertenda, quo meliores illi fiant. In omni re utilissima est veritas, inutile mendacium.

Priusquam de statuti jussis disserat, tria notat Baconus, quæ semper notanda sunt, primo statuti tempus, secundo titulum, tertio exemplar hujus, quorum primum quid faciendum fuerit, secundum quid facere in animo habuerit legis lator, tertium quid ille fecerit docet. Animadvertendum quoque accurate divisam esse legem, non aliter atque omnes dividendæ sunt. « Statutum, « ut omnis lex, continet procemium, corpus legis, quædam præ- « visa.. Procemio incommoda docentur, corpore legis remedium

« affertur, exceptionibus remediorum incommoda tolluntur.
« Novæ enim leges pharmacopolarum medicamentis similes
« sunt, quæ morbo remedio sunt, corpus tamen turbant; ea
« igitur corrigi solent aromatibus. Nullo igitur modo afferri
« potest morbis reipublicæ remedium, ex quo non aliquod
« incommodum cooriatur; prævisa quasi aromata legum sunt,
« quæ eas corrigant. »

In Prooemio statuti immoratur noster, cujus tres sunt partes: « Prima referuntur præcipua incommoda, ex qua ceteræ ortæ « sunt — secunda, singularia diversaque incommoda, quæ primæ « pars ipsa est — tertia breviter indicatur quid remedii statuta « adhibitura sint. »

Apparet igitur duplex procemium hac in prælectione esse, unum quod ad materiam spectat, alterum quod ad statutum : unum quod *usuum* definitionem, naturam, originem, alterum quod statuti naturam originemque continet. Utrumque sane necessarium.

Deinde ad corpus legis venit noster. Optimum quidem præceptum dat : « Cupiam ab omnibus præceptoribus qui statuta « exponunt idem atque a discipulis in ludo fieri : scilicet ut « ante omnia præcipuum verbum quærant; id est, animadver- « tant et notent voces in quibus situm est statutum : etenim in « omnibus statutis sunt quædam voces, quæ venas imitantur, « in quas veniunt vita et sanguis eorum, de quibus unice dis- « putatur : ceteræ autem *litteræ mortuæ* sunt, implent nume- « rum. » Ipse in statuto de *usibus* præcipuas voces quærit : exemplo sit hæc sententia : « Casus generalis in octo principibus « vocibus situs est; quatuor quæ ad dominum spectant; tribus, « quæ ad utentem; una, quæ ad utrumque. »

Corpus ipsum legis ita dividit : « Tres casus in statuto sunt et « cuique est sua regula; casus generalis, casus *cotenentium* ad « usum unius ex ipsis, casus generalis *tenentium* ad usum redi- « tus aut utilitatis. »

Cuique autem casui est sua regula. In omnibus similem divisionem obtinere jubet divisionem Baconus, recte quidem. Nihil enim sive ad intelligendum, sive ad memoria tenendum efficacius quam similiter res dividi, ubi natura et ratio non repugnat. Hæc est divisio Baconi, quam omnes ad leges extendere licet : « Regala duas habet partes, primam *de operatione statuti*, quem « finem habeat statutum ; alteram, *modum operandi*, quomodo « statutum hunc ad finem perveniat. Huc autem tendit ut pos- « sideat utens rem qua utitur : modus est, ut statutum utentis « possessionem habeat pro novo corpore, ex materia formaque « mixtis, tenentes materiam substantiamque, utentes formam « et qualitatem præbeant. »

Quæ sit Baconi ratio, quis ordo apparet. Eodem modo omnia legis verba vult explanari. Legem autem in quasdam partes dividit, de quibus eadem quærenda. Ita vere una est prælectio et simplex, lucida tamen.

Nunc ad prævisa. Hic etiam legis latorem laudat noster : « Qui « legem hanc condidere tali doctrina civili instructi sunt, ut « non modo providerint quæ protinus ex nova lege ventura « essent incommoda, sed quæ remotius consecutura : igitur « præter casus expresse prævisos, addiderunt alia prævisa quæ « in seipsis vere continent leges. »

Prævisa ita dividit Baconus : alia ad legem proxime, alia remote spectant. Exemplum sit remotiorum ; « Ubi provisum erat « statuto *usuum* deleri multa testamenta ante scripta, de testa- « mentis facta est regula. » Non aliter de usufructu viduæ, etc.

Hæc autem prævisa cum *usibus* arctissima societate conjunguntur, imo necessaria : « Quis *tenens* esse possit, quis non — « quis *utens*, quis non — quis *usum* constituere possit, quis « non. »

Divisionem hanc latioris divisionis partem esse facit Baconus ; nam tria considerat : quomodo oriantur *usus*, quomodo exstinguantur, quomodo sese habeant.

Abunde de statuto *usuum* dictum est. Quem ordinem prælectionis servaverit Baconus, quem velit ab omnibus servari nunc, ut reor, neminem fallit : parum *usum* ipsum curamus. Attamen liceat non ante de prælectione ista tacere, quam iterum ostenderim quam veneretur instituta patriæ suæ Baconus, quanta veneratione ea colenda censeat. Scilicet hoc in Bacono accuratissime animadvertendum, quod talem in omnibus ejus scriptis locum habet; nec tamen Baconi proprium, sed omnium ejus civium commune, nec eo minus dignum quod notetur. Judicium per juratos agitur, de quo omnes in Britannia superbire solent : « Quod ad lites attinet, nulla lege tam bene provisum est, ut « quod esset evidens appareret, et æque essent jurati, quam « lege communi Britanniæ, non aliter atque nulla tam præcise « provisum est ut jurati directam sententiam ferre deberent. « Etenim, quum leges omnes sinant juratos (qui in his vocantur « judices *de facto*) declarare *non liquet*, id est, nullam sententiam « ferre, et omnino causam dimittere, nostra lege coguntur ut « directam ferant sententiam de omnibus rebus aut singulis; « quumque in ceteris satis sit major numerus suffragiorum ad « ferendam sententiam, lege unanimes esse coguntur : quumque « in ceteris tempore et otio libero fruuntur, discedunt, redeunt, « in nostra coercentur et durissime in carcere servantur, ullo « sine lumine aut adjumento, donec duritia et coercitione in « unum convenire cogantur. »

II. DE LIBRIS PRUDENTUM. — Duo exempla ab operibus Baconi sumamus, *Expositionem officii constituti de translationibus per fines* (1) et *Auxilia legis ad tuendas personas, bona et famam* (2).

(1) On account of the lately erected service, called the office of compositions for alienations.

(2) The use of the Law for preservation of our persons, goods and good names, according to the practice of the Laws and Customs of this Land.

Non sane multum interest inter libros illos et prælectiones; eadem Bacono de utrisque præcipienda fuisse reor, eumdem enim ordinem, eamdem rationem in utrisque servavit. Non igitur ex intima utriusque natura venit quod inter se differant, sed unice ex nomine, ex forma.

1. *Expositio officii constituti de translationibus per fines.*

Finis definiri potest « litis compositio, bona gratia partium, « seu vera, seu fictitia, sinentibus rege justiciariisque ejus, ex « qua terra quæ agitur fit aut agnoscitur esse unius... *Finis* no- « men habet, quia finis imponitur non modo liti inceptæ, sed « litibus omibus et controversiis eadem de re (1). » Nullus ager *fine* transferendus est, nisi pretio quodam a rege ante exacto. Baconus, *de finibus* disserens, ante omnia reditus regni dividit in ordinarios et extraordinarios. Postquam inter extraordinarios *finium* pretium posuit, « dignum essse labore meo censeo si « primo probo *fines* illos, exactos in talibus translationibus, « non modo antiquissimos esse, sed bonos et rationi congruos : « secundo recentiorem præsentemque officii rationem veteri « consuetudini præstare; tertio, quum Sua Majestas inde non « parvam utilitatem perceperit, ei licere, cum modestia quadam, « identidem eamdem quærere, ulla sine justa querela subjec- « torum. »

Nonne hic obtinet ea, quam in prælectione nuper laudavimus, divisio? Historiam primum noster amplectitur et rationem, dein legem ipsam exponit, tandem quid præterea faciendum sit docet.

In scripto ipso immorari non curæ pretium est, neque in hoc magnam operam posuit Baconus et parum habet materia momenti, nisi ad thesauri regii rationes attendas. Duo tamen animadvertenda sunt, unum in prima, alterum in tertia parte.

(1) Blackstone, t. II, c. 21.

In prima parte, *de origine finium* disseritur : « Quod ad ratio-
« nem et æquitatem pretii exacti a thesauro in talibus transla-
« tionibus spectat, ita dicam : quum rex, quem lex nostra intel-
« ligit fuisse principio omnium personarum supremum domi-
« num, omnis terræ in regno dominum unicum, dedit terras
« subjectorum alicui tenendas ex ipso, tanquam ex corona et
« regali diademate suo, paucis quidem selectis viris hoc tribuit,
« non ratus quemquam alium, absque suo consensu, ejusdem
« terræ dominum fore. Igitur dono infuit is animus ut, si tenens
« eam transtulisset, regis assensu antea non impetrato, ad regem
« illa aut ad ejus successores, qui primus eam dedisset, rever-
« teretur. » Mox non reversa est terra, sed multa quædam exacta fuit, « magno legis favore. » Hinc abesse videtur ratio, abesse philosophia. Baconus enim, quamquam de ratione et æquitate sese verba facturum dixerat, nonnisi historiam amplexus est. Tunc autem jampridem obtinuerat mira opinio, scilicet regem fuisse omnis terræ dominum : quod sæpe in medio ponit Baconus, tanquam legis fundamentum (1), ipse Fenelo quoque pro vero accipit (2), Blackstonius autem pro falso rejicit (3), nihil aliud quam feudorum consuetudines in Britanniam illatas, inde fictum regem omnis terræ dominum, nunquam fuisse, contendit, attamen fictionem inter regulas et præcepta juris esse confitetur. Non nostrum est quærere an inter se multum differant Baconus et Blackstonius, quid intersit inter verum an fictum regis dominium. Saltem an cum æquitate conveniret fictio, quam utilitatem haberet demonstrandum fuit.

Tertia pars quoque digna est in qua notentur quædam :
« Hæc autem facienda censeo : primum diligentia ministrorum

(1) The use of the law, etc.
(2) Essai philosophique sur le Gouvernement civil, c. 14.
(3) T. II, c. 4.

« horum, adjuvantibus si qui iis usui esse queunt, accurate in « unum corpus redigi esse debent omnia dominia in capite (1), « eadem digerenda ex ordine litterarum in apta volumina, ad « quamque partem aut quemque comitatum regni. Si quis autem « minister aliquod dominium in capite reperiat, exprimet ve- « ram magnitudinem terrarum, ut quondam per mensuram « solebat fieri, postquam visu omnia comprehensa erant, ut « omnes partes dominiorum in capite in lucem edendæ sint, « qualescumque tempore factæ sunt, et quanquam mutatæ vel « vastatæ sunt. » Non hic jus agitur, sed, quæ tantum habet momenti in rerum publicarum administratione, scientia regionum describendarum, tot doctrinæ civilis partes attigit noster (2)!

Quod si rerum administratio a jure nimis abhorrere non videtur, licet quoque scripti ejusdem clausulam referre : « Talem « modum utiliorem esse Suæ Majestati, quod omnia tributa per « fideles viros exigantur, quibus ipsa stipendium suum tribuat, « quam quod aut locata sint et conductores inde maximos « fructus percipiant, aut avidis ministris vastanda relinquantur, « quibus non sit sua merces, argumento sit usus et felix in hac « redituum parte successus : qui cetera non aliter exigenda per- « suadeat! » Nonne videtur nihil post Baconum excogitatum fuisse, nihil institutum, quod non ille vi ipsa sui ingenii multo ante omnes invenerit? Nonne videtur ei tantummodo tantarum rerum ad usum transferendarum defuisse aut potestas aut tempus?

2. *Auxilia legis ad tuendas personas*, *bona et famam*. — Ut a

(1) *Tenures in chief*.

(2) Cf. A frame of declaration for the master of the wards : « For the « suitors... (in this court), his Majesty's princely care falls upon two « points of reformation, the first, that there be an examination of fees, « what are due and ancient, and what are new and exacted, and those « of latter kind put down. »

legum latore libros *auxiliares* jubet scribi Baconus, ita quoque libri quidam a prudentibus scribi solent qui jure auxiliares vocari possunt. Leges enim eo conditæ sunt ut in usum veniant: non usus omni auxilio destitutus esse debet. Nihil aliud scriptum, de quo nunc loquimur, quam memoriæ subsidium esse videtur. Jussa legis ad tuendas personas a morte et vi, ad transferenda bona, ad conservandum nomen a turpitudine et infamia lucide exponuntur. Quot sint tribunalia, cujus generis causæ ex quoque pendeant, deinde quibus modis aut adquirantur aut transferantur dominia rerum breviter attingit, quum nihil prætermittere velit. Attamen non in hoc scripto omnino desideratur philosophia; quid in prima parte, ante omnia, tanquam præcipuum, tanquam unicum legis fundamentum, positum vult Baconus? « Quia omnis pœna exemplo esse debet, videndum est quæ « pœnæ a nocentibus exigantur. » In parte quæ ad bona spectat, unde occupanti dominium competat quærit : « Dominium ex oc- « cupatione competit, si quis agrum quemdam invenit, quem « nemo possidet aut suum dicere potest, eo autem potitur, po- « titus quidem dominus fit. Lex illa oriri videtur ex verbis istis : « *Terram dedit filiis hominum*, quod intelligendum est, his qui « eam araut et frugiferam faciunt. » Occupatio enim fundamentum in ratione habet, scilicet homini labore adquiritur dominium. Infra noster substitutiones fideicommissarias, tanquam inutiles et iniquas, damnare non dubitat.

Historiæ quoque suus est locus ; nullum tribunal attingit Baconus, quin et originem quam habuerit illud et quid in illo mutatum fuerit doceat, non inscius multa obscurissima esse nisi accedat historiæ lumen. Exemplo sit quodcumque de constabulariis pacis, de conservatoribus pacis dixit. Jam alio in libro hujus scripti (1) non parvam retulimus partem, quæ docet cur

(1) Lib. II, c. 1.

ex Rege oriatur judicandi potestas. Nec aliter de dominiis rerum; hic etiam Gulielmum I omnium agrorum, nisi ecclesiasticorum et comitatus unius, dominum factum fuisse narrat, quibus conditionibus ille agros in Normannos contulerit multaque alia accurate refert.

Quis jam historiam, quis philosophiam juris scientiæ nocere, imo non multum prodesse arbitretur?

EPILOGUS.

Jam claudatur hæc thesis : quid Baconus de jure censuerit, quantum in nobis fuit, quæsiimus, collegimus, exposuimus, non sine quodam labore, at, bona venia dixerimus, non sine quadam voluptate. Opus istud eo suscepimus, quod a tanto viro non potuisse in doctrina civili ingratam operam poni nobis visum est. Utinam ipsi in illo non ingratam operam posuisse videamur, sed ex libris ejus aliquid retulisse, unde utilitas, etsi parva, ad jus redundare queat! Non sane ea mente de Bacono scribere cœpimus, ut quidquid de jure dixisset comprobaremus, non in verba ejus juravimus ; imo sæpe illum a ratione abhorruisse contendimus, ipsi ad eam reverti conati sumus. Attamen fatendum est multa quoque ab illo excogitata, multa scripta, multa proposita, sive cum ratione convenientia, sive ad utilitatem apta : multa esse quæ mirandum sit alicui ætate illa in mentem venisse, quamvis jampridem consuetudine vilia nobis facta esse videantur : nonnulla, quæ etiam nunc prudentibus multis usui esse possint. Tandem gratulandum est Bacono quod, nisi primus philosophiam cum jure conjungendam censuerit, certe nulli unquam magis cordi fuerit utramque inter se miscere, quidni dicam ? nullus felicius miscuerit, nullus felicius et rationi et utilitati consuluerit. Non enim modo inane præceptum in capite juris inscribi passus est, sed rationem et in leges condendas et in judicia ferenda et in jus docendum transferre nunquam destitit : ne ordinem quidem prælectionum orationumve philosophica laude carere voluit.

Nulla est alia causa cur aliquot errores in eo animadvertantur,

quam eum semper et ubique Baconum fuisse. Scilicet ille non alia in jure civili ratione usus est, atque in philosophia ceterisque doctrinis. Hoc ejus proprium fuit quod ante omnia usu et experimentis constare doctrinas jusserit. Non autèm pariter omni in doctrina valent usus et experimenta, quod fatetur et ipse Baconus, postquam vero confessus est, non semper satis curare videtur. Nimium quidem in doctrina civili inductioni locum fecit, oblitus magnam illius esse partem quæ rationi relinquenda esset, non ex usu pendere deberet. Præterea duo sunt, ut ita dicam, usus et experimentorum genera. Hinc enim ex rebus, quæ in natura observata sunt, constat quæ vera dici potest experientia; illinc ex opinionibus hominum, quæ nomen ejusdem usurpare injuria conatur. Quod ad physicas scientias attinet, facile quidem rerum natura a mente hominum distinguitur, res ab opinionibus secernuntur : in moralibus vero scientiis, eadem facilius confundi solent : nempe nihil aliud est subjecta his materia, naturaque rerum, nisi mens ipsa hominum animusque ; nihil aliud inquirendum, nisi quid animus ille aut in se habuerit habeatque, aut extra se ipsum egerit agatque. Nil autem opiniones hominum ad mutandas physicas leges possunt : multum contra in historia, legibus, institutis, moribus valent, unde fit ut ipsa in naturam rerum transire videantur. Jam necesse est, non minus quam in physica, in doctrina civili inductionis regulas observari omnes. Non vero, Baconi ætate, tot res inter se conferri potuerant, ut leges constituerentur certæ omninoque naturæ rerum consentaneum efficeretur civilis doctrinæ corpus. Opinionibus igitur ille adhæsit. Inde consecutum est ut idem vir, eadem ratione in civilibus physicisque rebus usus, in his novas res omnino faceret, in illis veteres amplecteretur servaretque. Non sane vitio vertendum putamus scriptori, si nimio in amore habeat vigentia instituta legesque, imo eo magis laudi ducendum quo rarius sit, nec nescimus aliam esse civili in doctrina, aliam in physica

immutationem. Attamen nonnulla sunt quæ nec cum ratione nec cum rerum natura satis congruere noster intellexisset, nisi suas, nisi æqualium et civium opiniones pro natura rerum, pro ratione accepisset.

Satis de erroribus : qui multo minus Bacono exprobrandi sunt quam gratiæ pro tot beneficiis ab eodem in doctrinam civilem, in jus, in philosophiam omnem collatis, agendæ. Omnium quidem est errare; paucorum vero philosophiæ luce jus illustrare et pariter tot tamque magnis doctrinis prodesse. Non igitur injuria in sepulcro ejus scriptum esse fateamur : « Franciscus Bacon, Baron de Verulam, S^ti^ Alb^ni^ vic., seu notio-« ribus titulis scientiarum lumen, facundiæ lex sic sedebat. « Qui postquam omnia naturalis sapientiæ *et civilis* arcana « evolvisset naturæ decretum explevit : Composita solvantur. »

TABULA.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. III Kalend. septembr. ann. MDCCCLXI,
Facultatis Litterarum in academia Parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Permis d'imprimer,
Pour le Vice-Recteur,
L'Inspecteur d'Académie,
A. SONNET.

Beauvais. — Imprimerie d'ACH. DESJARDINS.

ERRATA.

P. 5, l. 6, — *immunerabiles*, lege *innumerabiles*.
P. 12, l. 16, — *scienia*, lege *scientia*.
P. 21, l. 11, — *aptissinum*, lege *aptissimum*.
P. 27, l. 4, — *civitales*, lege *civitates*.
P. 30, l. 18, — *iidem*, lege *eidem*.
P. 31, l. 15, — *componendas* lege *componuntur*.
P. 65, l. 18, — *qui pacto*, lege *quo pacto*.
P. 73, l. 10, — *fegi*, lege *tegi*.
P. 86, l. 8, — *jan*, lege *jam*.
P. 94, l. 9, — *minuus*, lege *minus*; — l. 26, *conferrre*, lege *conferre*.
P. 95, l. 23, — *nonue*, lege *nonne*.
P. 102, l. 10, — *porigi*, lege *porrigi*.
P. 111, note 2, — *vestris*, lege *verbis*.
P. 132, l. 15, — *attentioniis*, lege *attentionis*.
P. 144, l. 6, — *corruptas*, lege *corruptos*.
P. 150, l. 26, — *non hominibus*, lege *non ab hominibus*.
P. 151, l. 10, — *abuit*, lege *abfuit*, — l. 26, *hand*, lege *haud*.
P. 161, l. 23, — *illæs*, lege *illas*.
P. 164, l. 8, — *illiinc*, lege *illinc*.
P. 167, l. 8, — *descendenum*, lege *descendendum*.
P. 170, l. 19, — *lcges* lege *leges*
P. 185. l. 15, — *definitlonem*, lege *definitionem*.
P. 184, l. 18, — *statum*, lege *statutum*.
P. 186. l. 6, — *regala*, lege *regula*.
P. 198, l. 19, — *Liber secundum*. lege *Liber secundus*.